ERYCI PUTEANI

COMVS.

SIVE

PHAGESIPOSIA CIMMERIA.

SOMNIVM.

OXONII.

Excudebat *Gulielmus Turner*, impensis *H. Curteyne*. 1634.

Cum Privilegio.

Wesmoth.

Ex dono Matthæi Medbourne

384.01

AD NOBILEM VIrum *Christoph. Ettenium.*

VOluptatis religio omnium pænè ætatum gentiúmque scelere constituta est, luxu lasciviáque crevit. Sua ubique vitiis Numina data sunt, ut impius esset, quisquis sapiens; ut malus quisquis virtutem inculcaret. Quia verò non Bacchus, non Venus, non alia potentia insaniam Conviviorum & Commessationum implebant, coli apud Græcos Comus cœpit, adeoque diffusum est Ventris regnum, ut nec terrarum finibus

clauderetur. Hæc ſacra profanare auſus ſum: deſcripſi, & quaſi aliquam Sapientiæ partem colerem, impius in Luxum Laſciviámque fui. Igitur ut victurum ingenii mei apud mortales facinus excuſem, opportuno nominis tui patrocinio utar: non quaſi aliter abſolvi non poſſim, ſed quaſi nolim. Etenim quicquid vides *Somnium* eſt, Luſus eſt, noctis & caliginis opus: non inamœnum quidem, ſi rerum ficta quadam imagine delectaris. An me fallit Genius ille tuus, illa paternæ indolis matura, & ſine vitio amœnitas? delectaris. Litterarum has delicias amas, Litteris imbutus; & riſum, ubi alius iras, colligis. Dici, & ſtylo adumbrari ſuſtines, quæ non uſurpas;

ſurpas; pungi & puniri, quæ dã-
nas, à bonis honeſtiſque mori-
bus aliena. Paterno exemplo, nõ
Luxûs aut vanitatis, ſed virtutis
inſtrumenta divitias habes. at e-
go, virtutis etiam amore, vitia
quædam publica & promiſcua,
quaſi orbi & ævo noſtro deſint,
in alieno aut ignoto perſequor.
Vitia, quæ lucis exilio mulctata,
non niſi in tenebrarum hodie
regno licet inveniri: publica ve-
rò & promiſcua, quæ privatus a-
liquis, quia celare non poteſt, de-
fendere audeat; quia in mores
familiàmque aliunde adoptavit,
neget eſſe ſua. Sed vitia noſtra
(promiſcuè hoc etiam dicam)
ſive ab aliis, ſive à nobis, noſtra
ſunt; magis etiam noſtra, ſi ex-
cuſamus. Nunc igitur, ut morem

ævo geram, ſcenæ meæ fictionẽ ad *Cimmerios* transfero, & ignotam regionem noctis. Si quis niger, ſi quis improbus, ſi quis luxu perditus, hîc habitat: in orbe noſtro nihil eſt quod culpem. Vigent candor, probitas, ſobrietas; & quicquid vitium erat, virtutis perſonam induit. Sed ego quæ vidi, quæ audivi, cùm nec oculis, nec auribus uterer, tanquam luſum eſſe cupio, & omnis ſimul luxuriæ ſpurcitiæq; amuletum. Sic faciliùs bona & ſalutaria præcepta penetrant, cùm amœnitate veſtiuntur: nec laboranti ſtomacho everſoque conciliari cibus poteſt, niſi blandimentis corruptus. Quem verò omninò ſenſum *Comus* hic involvat, neſcio: Ουηεροκρίτην non conſului. Et

an

an quis alius volet? Jucundiùs neſciri quædam interdum poſſunt, quàm ſciri. Illud cavendũ etiam, ne perverſa interpretatione Somni religio violetur. Noctes obſcuræ ſunt, ut & imagines ejus laborare tenebris fatearis. Neminem igitur offendere narrando poſſum, niſi quem vitia ſua denudant: neminem ſomniando, niſi nunc demum qui ſcribunt, Atlantes ſunt, & Somniare deſierunt. Mihi certè hæc felicitas necdum contigit: quietis meæ nocturnam malitiam infeſtæ ex intervallo umbræ conturbant. Tales illæ ipſæ, quas in lucem ire nunc jubeo, atq; adeò (Famæ Genius faveat) perennare. Umbras, dicet aliquis, in lucem? perennare? portentum eſt.

At ego *Cimmerias* ipſas præſidio lucis æternas faciam, radiiſque muniã à Virtutis tuæ ſplendore. Ignis frigore ſeptus, & hieme ſtipatus, robuſtior eſt: ita fulgenti lumine umbræ circumſcriptæ, denſantur, nec vires capiunt niſi ab hoſte. In te quidem, nihil, quod vitalem (ut ita dicam) caliginem *Somnio* meo addat, reperio, preter ignem & illuſtres Heroici animi dotes. Hoc nunc igni obſcurum *Comum*, conſpicuum facio: ſtili ingeniique Luſum *Cimmerium* tuo, ut dixi, patríſque tui Viri ſummi, nomine orno & illuſtro. Tu quidem imago patris es: ad magna & ſublimia virtutis gradu ſcandis. Dicerem, Pater ipſe es, niſi diſcrimen atque intervallum pietas

etas faceret. Etenim quotiescumque cogitationes à Patre ad te flecto, rediisse ad patrem videor. Quem imitaris, refers; & quem gloriari possis, exprimis. Accipies igitur munusculum istud, quod jam prior Pater libavit: accipies, quod dare Patri videor, quia tibi. Illi debebam Famæ & Tranquillitatis hostimentum, tibi solvo: & quasi parum esset, unius auctoritate *Comum* meũ munire, geminam præscribo. Tuum Patrisque lædet nomen, qui hunc librum; & quem tuum videbit pater, defendet. Tu defendes quoque, & furentem indocti Livoris insaniam strepitúmque compesces.

DANIEL HEINSIUS
ad *V. C. A. Q.*

E. PVTEANVM, HOSPITEM, ET intimum amicorum,

Cùm denuo COMUM ederet.

NOn sic Oresti fidus astitit suo
Phocæa quem tellus tulit,
Cum matris igne vultibusq; territus
Lassavit ultrices Deas,
Quanta hospitalem postquam inivimus
larem
Tecum mihi concordia est.
Non siper igneis ire candenteis pares,
Amice, & ultimum latus
Septentrionis defatigatum minis,

Et

Et aſpero crudum gelu,
Vel qua vagantem preſſit Alcides pedem,
Gadeſq́ terrarum extima
Ponto cadentes audiunt Phœbi rotas,
Ignavus accurram comes.
Nec ſi leæna vis reſurgat igneæ,
Capramq́ conjungat leæ,
Dapeſque noſtras ore & unguibus trahant
Ditiùs venenoſæ ſtriges,
Quales paratis aſtitere ferculis,
Profana Phinei cohors,
Vſquam revellar: ſic potentibus Deis
Sic Delio viſum fuit.
Nec ſi trilingnis Tænarum ſervet canis,
Vt irruente Theſeo,
Tecum recuſem, Puteane, *pallidus*
Inviſere Vmbrarum domos,
Sedeſq́ noctis, impiisq́ Manibus
Inenatabilem Styga.
O & meorum prima pars ſodalium,
Sacrumq́ poſteris caput.
Non ut tremiſcas triſte livoris malum,

Et

Et ſeculi diras aves,
Quas imperita tollit indignatio
In proximum cœlo genus,
Aut inchoatis hactenus laboribus
Muſiſq; ſubtrahas manum:
Sed ut ſuperius inter ignavos eas,
Adoreâq; nobilis
Ipſoq; laudis gloriæq; lumine
Imbelle preteras pecus.
Qualis volucris fulminatoris Dei
Cum credidit cœlo caput,
In altiora fertur obſtrepentium
Secura quas tellus habet,
Nubeſq; pennâ ſcindit, & flammam Jovis,
Contra intueri nil pavet:
Vel ut cruentis per jocum vibicibus,
Qualis Lycambeus gener,
Premas inertes; ſive pungendo lubet,
Seu forte cæſim mavoles:
Non parcere ullis certus invidentibus:
Virtute ſat potens tua.
Seu te Menippi, ſeu Bionei juvant:
Non inverecundi ſales,
Nihil daturæ longa quod mergat dies,

Aut

Aut impotens oblivio;
Ipso furore major allatrantium:
Vt ſæva tigris, aut aper
Abit moloſſos inter & pedem ſtruit,
Dentis relicturus notam.

ERYCI

ERICI PUTEANI
COMUS.

QUæ nec facta nec futura ſunt, dicam; ſtili aut ingenii cauſa. Non offendetur, quiſquis ludum aut amœnitatem amat, Litteris Muſiſque olim agnatam. *Somnium* eſt, & hoc narrare mihi liceat; ſed interpretem arcere qui aut facta, aut futura volet deſignari. Abi, & dragmam alibi pete mendacio præmium. Ὀνειρογν qui ὄνειρογν dixerit, is divinus. Quid verba mea torques lime, & innocentem ſermonem afficto ſenſu adulteras? In nube aut igni imagines rerum malè feriati diſtinguunt & cæcutiunt: pariter in nube, & igni cognationum, atque ſomni. Abi igitur, ego quæ vidi, non vidi.

Si

Si quod *Cimmerium* est, hîc fui; si quæ *Phagesipoſia*, his interfui. Quæcunq; leges, ſemiſepultæ mentis labores ſunt, & nigriſilentii ſimulacra. An & Sommiare mihi nefas? rum Naturam accuſemus, & cogitationes omnes, ventorum inſtar, in vincla demus, & Vlyſſis utrem. Cogitationes? imò res actionéſque omnes humanas. Etenim quæ manu aut mente diurna agimus,

In ſomnis hæc eadem plerumq; videmur obire.

Lucis ſive curas, ſive delicias nox excipit, & cùm ſomnus obrepit, velut in ſtagnanti quadam nebula repreſentat. Nimirum.

---Vbi eſt diſtracta per artus
Vis anima, partimque foras ejecta receſſit,
Et partim contruſa magis conceſſit in altum,

tamen viget, & in mortis umbra vitæ munia, conſilia, imò deliria, vanis deluſa imaginibus, molitur. Sic nec quietem

quietem usuquequaque sine labore mortales habent. curarum & nugarum reliquiæ, die exantlato, lectulum unà scandunt, & membra sopore irrigata, vel terrore lancinant, vel gaudio demulcent. *Traducitur autem* (cum Lactantio dicam) *mens cogitatione cæcâ, cùm cogentibus tenebris secum tantummodò esse cœperit: dum intenta est in ea, de quibus cogitat, repente somnus obrepit, & in species proximas sensim ipsa cogitatio declinat. Sic ea, quæ sibi ante oculos posuerat, videre quoque incipit.* Sed ego narrare nunc incipio: qui Somnium æstimas, & delicias admittis, pusilli temporis damnum impende: hanc mercedem posco: ut si audire lustineas, reprehendi patiaris, quicquid sine turpitudine nemo usurpavit.

NOCTIS senium erat, & adultâ somni dulcedine, simulque imagine involutus per suburbanos colles opaco mentis itinere errabam. Varia & verna quædam amœnitas tellurem vestierat

veſtierat, pulſo hiberni anni ſquallore: cúmque in ipſo frondoſi nemoris aditu Dryadas meditarer, animúmq; concuterem, ſcripturus Silvano carmen: in denſiſſimum pænè antrum delatus ſum, cui veſtibulum naturalis arborum ſeries fecerat: limen quoq; religioſæ frondes inumbrarant. Juxta, atque adeò in ſupercilio puriſſimi fontis congeſtæ è grumis ceſpitibúſque menſæ erant, ſparſim corollæ, & reliquiæ quædam bellariorum. Convivium aliquod fuiſſe madens adhuc lacte vinóque ſolum indicabat. Ab ipſo ſpeluncæ penetrali nuptiale quoddam murmur luménq; exibat; ut omninò appareret, è Nymphis aliquam à novo in Thalamum ſponſo deductam eſſe. Mirabar ego caſtiſſimum ſecretum & cujuſmodi in Ithaca Homerus fabulatur, Veneris Amoriſque numinibus impleri, cùm in proxima fago notavi carmen non ſine religione inſculptum.

Eſt

Eſt Deus, aut Genius preſens qui jungit Amore
Humanos animos; qui dulci concitat æſtro
In Venerem omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quicquid liquidum panſis ferit aëra pennis,
Et quicquid vaſti ſpumoſo gurgite ponti
Errat, vel clauſum fluvialibus innatat undis.
Laſcivit genialis Amor: natura pet ulca eſt:
Omnibus & terris regnum tenet alma Voluptas,
Deliciis fœcunda ſuis. Sic flore micantes
Luxuriant rauco lapidoſi murmure rivi:
Luxuriant tremulæ frondes in frondibus auræ.
Effœtis verni miſcent ſpiramina venti
Arboribus, vitemq; gravant ceu rore marito.

Et

Et ſpurio vitã ſucco ſibi ramus adulter
Inſtaurat, ſumitq; comas, & non ſua poma.
Degenerant frondes, ſubrepunt perſica prunis.
Laſcivit luditq; Venus, natura petulca eſt.
Sed vos ruricolæ, gens longo dura labore,
Solvite continuas laxato pectore curas:
Inq; dapes fuſi ambroſias, ſuavemq; Lyæum,
Inq; jocos hilares, riſus, feſtáſque choreas,
Mittite primitias Veneri, date liba Priapo.
Rus quoque laſcivium eſt, & amœni munera ruris.
Rus quoq; laſcivum eſt, Luxus quoq; naſcitur arvis:
Et ſine laſcivo languent convivia Luxu,
Et ſine laſcivo languet conviva Lyæo.
Omnia luxus habet: largo tenet omnia luxu

Latitiæ

Lætitiæ ignotus præſes, Geniúſque Deorum,
In quo numen habet Silvanus & Arcadius Pan
Et montana Pales, Dryades, Satyriq; ſalaces.
Ludite queis mollem ſuadent tot numina vitam:
Formoſus nec ceſſet Amor cum matre benigna.
Creſcet Amor Venere extimulatus, creſcet amore
Ipſa Venus, plenóque ſinu ſua præmia fundent.
Sacri ſunt verſus, nec ſunt præſagia vana.
Nam Deus ipſe notat victurum cortice carmen:
Carmen, quod viridi ſe nunc quoque laxat hiatu.
Eſt Deus, eſt Genius, præſens latet arbore numen.

Legeram, & ecce neſcio quis humanâ formâ auguſtior, tanquam è confinio lucis & umbræ emergere mihi viſus,

visus, ipsum planè Gratiarum ac Lubentiarum omnium simulacrum. Vestis vultúsque Androgynum loquebantur, & à Mercurio Veneréque sexũ: reliquus ornatus & effeminare virum poterat, & in femina mollitiem augere. Caput rosis gemmísq; distinctum, & radiorum quadam majestate: coma in cirros cincinnósque digesta, odoribus perfusa, auram quoque imbuerat. Sed has delicias crebri acidíque ructus, & onusti indicia stomachi deformabant. Conviviorum aliquem Genium esse facilè conjiciebam: atque illum ipsum ignotum lætitiæ Præsidem, Deorúmque Deum. nam & multo sanguine facies rubebat, & toto videbatur corpore hilaritatem induisse. Gestu mollis, ætate juvenis erat, οὔπω ἔφηβος, ἐρυθρὸς ἀπὸ οἴνου: *nec adhuc ephebus, præ vino rubicundus*, & quasi epularum hæsissent in ore reliquiæ, spina argentea dentes perfodiebat. Mox læva facem, dextra auratum roridúmque

dúmque Liberi lepôre cornu complexus, identidem libabat: dixit & ſpecum lumine, & fontem fragrantia violari. Mihi de Jovis poculo ſubiit ſuſpicari, & cujuſmodi primi mortales habuere. Quippe memineram κρᾶν hac origine apud Græcos eſſe *miſcere vinum*, aut *infundere*; κρατῆρα quoque ἀπὸ τοῦ κεράννυμι, quaſi κεραννῆρα. Ergò, cur non (tacitâ mecum querelâ muginabar) ſic non vivimus hodie, & ſimpliciſſima voluptate, Naturam matrem agnoſcimus, quã Aſiatico nunc ubique morbo fecimus novercam? Sed quæ fragalitas tamen, ſi corneum corticem ſplendentis metalli fuco pellimus? ſi ambitio terram lutúmque invenit, quo laſciviat? ſi non Sabinis tantúm, ſed Indicis paſſim diotis Ebrietati litetur, præ quibus vile, ſi Díis placet, aurum eſt? Menſæ, vaſa, lances, epularum ſumptus ſuperant parum, haurire uno convivio dena millia æris, pari niſi pretio miniſtres.

---*Mero*

—*Mero committere gemmas,*
Atque aurum violare cibis,

plebejum eſt: opes prodigalitate æſtimantur. Inter haſce cogitationes meas rectà & ſine veſtigiorum vicibus allabitur Androgynus (*Ægyptiam aliquam ſtatuam moveri diceres:*) & ut ſpernere divitias videretur, ſparſa in anteceſſum gemmarum miſtilia divinâ pedum conſtantiâ calcabat. Dubitare cæpi, an in tam ornato corpore mens Philoſophi habitaret: veſtitam olim purpura Sapientiam, & pleroſque è Barbatis illis non ſpreviſſe tantùm lautiſſimas opes, ſed abjeciſſe. Ponè puer ſequebatur, qui florido vultu, & ſuperbo ornatu *Luxum* referebat. Puella etiam, ne & ſequior ſine miniſterio ſexus eſſet, ſed infra ſexum mollis pompam augebat, variegatum auro crotalum ſiſtrúmque gerens, & quicquid ad *Laſciviam* prifca Muſa, & Voluptas invenit. Hi nutum veſtigiúmque Heri obſervabant; & medium mox,

accepto

nissimo Naturæ miraculo *Hippocrenen*. Iterùm Tabutius: Æstivis hic diebus habitare, imò legere, aut scribere velut per amœnitatem, destinaram. Bone Deus, quam multæ remoræ bonarũ cogitationum! quàm nihil ab injuria tutum! In ipso nuper surgentis diei auspicio, cùm antelucanus ille minurientium avicularum chorus suavissimo strepitu venientem Auroram salutaret: subitò cælum inhorruit, & rubentem Jovis dexteram malus quidam Genius in turriculam, tectique culmen torsit. Ardere tigna, & mox ipsi plutei libellique cœpêre; atque adeò totum grassante incendio Musеum obsessum est. Ego procurrens, cùm frustrà sævienti infortunio restitissem, familiam vicinósque excito, ut restinguendo incendio adessent: qui cùm liberalem operã ferrent tandem beneficio sospitalis *Fontis* mei flammam expugnant, & extremum à miserrimi Musei reliquiis fatum arcent.

Sic verò vis & injuria Vulcani repreſſa eſt, & pauculæ iſtæ ſchedæ quas cernitis, velut oſſa inter librorũ cineres, relictæ; quas mutilas fumoſáſq; in memoriam infortunii ſervo. Cùm miraremur triſtem incendii caſum, in hos quoque verſus dolor Tabutii erupit:

Non aliis quondã flammis juga Theſſala fortem
Vſſère Amphitruonyaden, cælóque locarunt
Dignum ſidereo. Sacræ quoq; mœnia Trojæ,
Indomiti hæc eadẽ hæc ignis violentia ſolvit.
Hæc dedit in cineres quicquid Phœniſſa virago
Struxerat, infauſti jaciens fundamina Regni:
Quicquid & infeſtis Pœnorum exercitus armis
Orbi Romuleo extorſit, victricia ſigna
Finibus Auſoniis tollens, Libicámque triumphis

Nobilitans

Nobilitans urbem, puduit servare tro-
phæa
Scipiaden, mediâ quæ ſævus fixerat
arce
Annibal, in maculam victi labémque
Quirini.
Æmula ſic lentis periit Carthago fa-
villis
Imperii; potuítque malis clareſcere
Fatis.
Obruta nunc ſpirat, Latioque ſuperba
cruore;
Attollit magno victurũ funere nomen.
His ardens ſtimulis fera menſq; ma-
nuſq; Neronis,
Injecit miſeræ Trojanæ incẽdia Romæ.
Nec tamen Æthereis ſatus Japeto ig-
nibus ignem
Subduxit: melior liquidis fluit ardor
ab aſtris.
Flammæ Tartareæ, & toto Plutone
furentes, (res
Buſtorum flammæ miſeros uſſere labo-
Inſontis calami ingeniique mei. Fero
triſtem

Non penitus ſortem. Lux famæ clarior iſtis
Naſcitur à facibus, longis contermina ſæclis,
Quæ puros Sophiæ radios, pia dogmata ſpargat.
Vivite felices, nil poſſunt Fata, libelli;
Vivite grandævumque rogo producite nomen.

Evolvit deinde furvas ſchedarũ reliquias, & omiſſo Dialogi præludio, luculentum Erulpionis de Sermone Sermonem prompſit.

Etenim dicendi velut modi quidam & partes ſunt: *Diſſertatio, Narratio, Quæſtio. Diſſerere* qui cum laude volet, laudẽ declinet. Vox facilis ſit, & velut ſponte fluens; geſtus modicus aut potiùs intra modum. Sic dicat, ut audire quoque paratum ſe oſtendat: imò corrigi, ſi quis meliora. Verborum pauſis atque induciis aliorum ſententiæ provocandæ: & intervallo quodam ſuſpendi periodi debent, ut cenſendi partes auditor

auditor accipiat. Semper loqui, ſtultum; continuò, ſuperbum: illud naturæ, hoc morbi: ac facilius naturæ ignoſcimus, quàm morbo. Quid velim ipſe colligis, ſtultum ſuperbo meliorem. Hoc quoque: intempeſtivum magis eſt, qui loquitur nequem audiat, quàm eum, qui loqui duntaxat ſolet, ut loquatur. Garrire quidem utrique propoſitum; ſed cum diſcrimine: alteri ut vocem ſuam ubique miſceat; alteri, ne quis miſceat, ille ſuo ſtrepitu, hic ſilentio aliorum loquax. qui ſtrepitu, turbat ipſe, aut turbatur: qui ſilentio, vilipendere ceterorum ſermonem videtur, quia non admittit. Turpe etiam loquenti ſilentium imperare, ut loquaris ipſe. Manu fieri, imò voce ſolet, & contentione quadam dicentes reprimuntur: ſcilicet ut mira, ut magna audiant, nec ullius ore prolata. Garruli tumoris, & tumidæ garrulitatis hoc præloquium eſt, & tanquam formula

solennis: sed, si sapimus, ab omni planè *Dissertatione*, imò sermone arcenda.

An & *Narranti* præcepta quædam præscribam? Breviter. In veris serius esto, in fictis amœnus, in omnibus lumine & brevitate circumscriptus. Vetera & nova pro argumento dicito: aliena cum laude, tua cum modestia, nec nisi verecundiâ reluctante. Mensæ quædam vomica Aretalogus, & velut morbus est. Nam ut quorundam hominum stomachus innatâ nauseâ certos cibos aversatur; ita omnium aures crepitantis Philautiæ vocem. Αρεταλόγου plerumq; etiam πολυλόγου; & facilè sermoni indulget, quisque de se loquitur: alius facinora, dicta, scripta: alius beneficia, & obsequia scilicet amicis præstita: alius nobilitatem, gratiam, potentiam, opes: quò suavis titillatio affectum ducit, lingua sequitur, ac mentiri consuevit. Itaque freno opus, & præceps ille cursus

cursus inhibendus. Ut Socratis præcepto, vitandi ii cibi, qui non esurientes pelliciunt: sic ii sermones, ad quos delectatio incitat, id est, qui de nobis & quibus nostram magis laudem, quam aliorum voluptatem fovemus.

Supereſt *Quæstio*, & *Responsionem* annexam habet. Illa facilis sit, familiaris, &, compendio dicam, pro Convivio: veteri & vero verbo πρὸς τὸν Διόνυσον. Ut nubiculæ Solis lumen: ita salebrosæ argutiæ hilaritatem poculorum frangunt. Cave: nec enim aliorum ingenia tetrica subtilitate torquenda sunt, ut tuum ostentes. Hoc ipsum odium habet. Chæronensis Sapiens ad rem: Εἶναι γὰρ δεῖ καὶ αὐτὰς ζητήσεις ὑγιεστέρας, καὶ γνώμας τὰ προβλήματα καὶ τὰς πύσεις ἐπιεικεῖς, καὶ μὴ γλιχερὰς, ἵνα μὴ πνίγωσι τὰς ἀνοπτοτέρας, μηδὲ ἀποτρέπωσιν. *Ipsæ verò quæstiones esse debent faciliores, & problemata nota, & interrogationes decentes, neq; nimis subtiles: ne rudiores torqueantur, aut avertantur.* Nos verò qui non spinas spargi-

mus? Philosophi, imò Theologi inter fercula sumus, cum satulli scil. & corona cincti. De Deo, & Religione quærimus, Divinæ providentiæ tabulas scrutamur, & ea omnia in quibus ipsæ Scholæ sudent. O intempestivam! pietatem dicam, an curiositatem? sed parco, & obiter de *Responsione* addo. Hujus tria esse genera possunt, præeunte Plutarcho: ἀναγκαῖον, φιλανθρωπον, περιττὸν. Primùm, *Necessarium*; cùm aut scire, aut nescire nos dicimus, brevitérq; sententiã explicamus. Secundúm, *Come*; cùm delicias addimus, & respõsum humanitate condimus. Tertium, *Superfluum*; cùm extra ripas, ut ita dicam, itur, & toto garrulitatis torrẽte quęstio obruitur.

Lubétne à familiari exemplo diffusum præcepti usum discere? Tanquã Philosophi adeas limen scisscitare, sítne domi Socrates? *Necessarium* responsum austerior aliquis dabit: *Non est domi*: aut, ut nihil Spartanis concedat, *Non*: nec enim brevior esse oratio

tio poteſt, niſi ſolo nutu loquatur qui reſpondet, & verborum laborem ſigni compendio evitet. Alius verò humaniùs decentiúſq;: *Non eſt domi, ad portum ſe contulit*, & ſi nondum impleſſe blandientis officium videatur, *Hoſpites aliquot Iones appuliſſe nunciatum eſt, eos exceptum ivit.* Alius deniq;, cui ubique garrulitas placet, longiſſimo ſermone reſponſum obruet, quaſi ſciri non poſſit, Socratem abeſſe, niſi à quæſtione ipſe abeat, & Reipublicæ, adeoq; Græciæ ſtatū ſimul enarret: *De Socrate rogas? non eſt domi, ad portum ſummo mane ivit, hoſpites aliquot Iones excepturus; de quibus Alcibiades ſcripſit, jam cū Tiſſipharne apud Miletum agens, ſatrapa Regis Perſia, qui antea Lacedæmoniis, nunc in Alcibiadis gratiam Athenienſibus opitulatur. Alcibiades enim, ut reditū ſibi in Patriam paret, Tiſſipharnem Athenienſibus conciliat.* Concitato deinde ſcaturientis ſermonis impetu, totum octavum Thucydidis librum

optime putidus

 recitabit,

recitabit, & odioso verborum imbre auditorem obruet, donec & Melitus capiatur, & Alcibiades denuò exulet. Sed nihil opus, opinor, præscribere; Humanus erit, & φιλαύθρωπον illud genus assumet, qui placere volet: etsi argumentum, persona, locus seorsim statuere discrimen aliquod possint: præsertim in Convivio, ubi lætior semper Genius ridet, talèq; responsum exigit. Sed per vestigia interrogantis ferendi gressus: responsio ipsa tanquam centro & circino circumscribenda. Ordine fiet, imò modo quodam fiet: ne aut qui interrogatus, præcipitet sermonem; aut qui non interrogatus, præripiat. Qui rogatus animum sumat ac loquatur: etiam cùm erraverit, laudem habet, quia obsecutus, Subrepens ille inanē gloriolam affectare desinat: nam sive rectè respondeat, molestus & importunus præpostera ambitione futurus; sive male ridiculus. Quid si & cum offensione? Omninò. Læditur enim

&qui interrogat, & qui interrogatur. Hic, quasi ingenio destitutus, & respondendi ignarus, mulctari silentio debeat: ille quasi judicio æger, seligere virum nesciat aptum respondere. Summa, *Vitandum*, ut Quinctilianus præcipit, „*ne petulans, ne superbum, ne loco, ne tempori alienum, ne præparatum & domo allatum videatur quod dicimus.*

Lectionem hîc suspendit Tabutius, cùm levi ictu impulsi sunt ostii cardines: & ecce barbatum Jovem nescio quis persona mentiens, in ipsum conclave immisit caput: qui ut sedentes nos aspexit, repentè ingressus est, singulísque per larvæ nubem allubescens, mutis deliciis loquebatur. Mox blando gestu manum meam prensans, & velut palpum obtrudens, mellitæ grandinis nimbo mihi sinum implevit. Ego admirans. Et quis tu Jupiter, inquam, è Cimmeriis, qui tam suavi tempestate me percellis? Tum ille faciem nudans, ecce tuus adsum,

ſum, inquit, peregrino quidem habitu: non affectu: an ignotus: Ego hominem intuens, & quaſi fides oculorum ſuſpecta eſſet, Tune hic ades, inquam, ô *Hylae*? Et quid tibi hic ornatus: nocturni ludi ſunt, ait, & Bacchico ritu pompã duco, in *Comi* hac palæſtra ſaltaturus. Veni & gregem meum vide. Mox aderunt quoq;, qui veteres è Ponto & Ionia numeros dabunt, qui Muſarum, gratiarúmque amœnum illum alterno pede motũ; &, ſi arma placent, qui Pyrrhicham, atq; Hormum ſaltabunt. Pluſcula deinde & ore, & geſtu in laudem Saltationis promebat; ut mihi planè videretur pedum quodam pruritu laborare. Dum huic ſtultitiæ oculos auréſque commodamus, puer Æthiops cum face intrat, cui noctis ipſe color perſonam fecerat. E comitatu Hylæi eſſe, geſtus indicabat. Hic igitur poſtquam ad aurem heri acceſſiſſet, anhela voce neſcio quid ſuſurrans, Chereſtratum quendam, & Myrtillam

lam nominavit, Hylæus repentina animi perturbatione commotus, cùm nutu magis quàm voce salutem nobis dixisset, larvâ resumptâ, in cœnaculum se proripuit. Tum Tabutius, sine insania, inquit, Amor non est; & hunc quem vidistis ad nocturnas ineptias sævus ignis stimulat. Sed quid est! hac gymnade *Comus* gaudet, Personatos admittit, choreis assuevit, atq; adeò Salios facit Convivas. A longa & pertinaci sessione Tripudia sunt, ultima totius hilaritatis velut scitamenta, nisi libes, labem invenis, & peccas. Scilicet post mensæ, etiam lasciviæ Sacra sunt, temulento motu obeunda. Ad purpuram hic Sapientes Dionysius cogat. Leges *Phagesipoliorum* poscunt, ut qui cœnaverit, saltet. Sed profectò quid grave aut concinnum, ubi ebrietas numerum frangit, gressúmque deformat? Saltem laudandæ virgines pleræq; sunt, scitulæ, tenellulæ; quæ invito *Como* siccæ & tanquàm statuæ, toto sedent convivio

convivio, ut ſobriæ quoque ſaltent. Colligunt quiete laſciviam, quam motu effundant: calentem ſine Libero aut Cerere, Venerem habent. Junge ferventem illam & maſculam juventutis petulantiam, & honeſtum aliquod tripudii genus exſpecta. Sunt molles & Ionici geſtus, obtutus, contractus & quicquid impudicitiæ frons palam audet. Dubites profecto mares ebrii, an fæminæ ſobriæ magis inſaniant. O mores fœdos! ſed fœdiores, quòd conſuetudine excuſentur. Veniunt ad alienos, tanquam ad ſuos Hymenæos, ſi Dîs placet, virgines, & matura libidine languent, pallent, pruriunt. Periit ceruſſa, purpuriſſum, melinum, & ſquid hujuſmodi offuciarum: quæ exſangues, bellæ ſunt; & luridum ac morticinũ hunc colorẽ ſtultiſſimo facinore affectãt. Tu Muſa fave, & fare.

O felix nimiùm, O beate Pallor!
Quondam verna Stygis puerq; Ditis,
Umbrarum genus, & ſatelles Orci,

Corrupti ſoboles pudoris, index
Morborum, Nemeſiſq; larva, lethi
Frater, invidiæ comes, metúſq;.
Sed nunc verna, puer, genus, ſatelles
Laſciviæ, Veneris libidiniſq;,
Amoris ſoboles, leporis index,
Morum luxuriæq; larva, riſus
Frater, lætitiæ comes, jociq;.
O felix nimiùm, O beate pallor!
Places virginibus, placeſq; nuptis.
Virgo nec lepida eſt, nec eſt venuſta,
Nupta nec lepida eſt, nec eſt venuſta,
Quæ non pallidula eſt: colore mortis
Et vir quæritur, atq; mox adulter.
O felix nimium, O beate Pallor!

Quæ Antiquitas ſic deſipuit? Aliæ pertinaci jejunio vigorem emacerant, aliæ venam ſecant, aliæ frugum ſemina, cuminum, carbones, calcem, cineres, terram vorant, acetum hauriunt. Cúm ex voto pulchræ.

Sanguinis in facie non hæret gutta.—

Formæ pretium puta, pallori valetudinem impendunt, nimirum ut vultu cadavera ſint, & omnem videantur

verecundiam

verecundiam projeciſſe, Sic audaciam amatores ſumunt; & ſuam quiſq; affatur, prenſat, palpat. Etiam dicam? *Carpit papillas atq; amplexus intimat.* Oſcula uſu honeſta ſunt, & cum verbis ſeruntur. Illud obtinuit:

Fumo comburi nihil poteſt, flammâ poteſt.

Sed iſtam flammam fumo tegimus, ut in umbra voluptatis cum libertate ludamus. Non hæc libidinis meta; ſed gradus eſt, longiúſque iter.

Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem:

Qui vult cubare, pangit ſaltẽ ſuaviũ.

Imò qui vult cubare, tripudio viam ſternit, virginémque tanquam ſponſam ducit. Illa ſequitur, & eoſdem obit numeros, incendítq; præſultorẽ. Videas peregrinas omnis ſtultitiæ ineptias, & exoticum laſciviæ habitum ornatúmq;, nec quicquam patrii & vernaculi in moribus ſupereſſe. Tanquàm originis pudeat, hoc unum omnes agunt, ut videantur à Majoribus

bus deſciuiſſe, Ergò exotico pleræq; luxu deformes ſunt. perítque omnis membrorum gratia, veſtium partim onere, partim tormento. Arctiſſimis vinculis coſtas & thoracem ſtringunt: coxas, ventrem, femina, & quicquid adhæret, in laſciviam laxant laciniántq; libertatem. Stola jam larva eſt; & quæ pulchræ, toto corpore monſtrum induunt, ipſum caput citris vincitur, tutulo gravatur, & ſuggeſto adoptivæ comæ. Collum vallo munitur, & radiis cingitur linei candoris. Scrutamini: violatum decorem ubiq; invenietis. Quid auri non jam ornamenta, ſed onera? Quid aurium vulnera, & elenchi: quaſi ſatis annulorum digiti non capiant? Cimmeria pudicitia ſub inhoneſto hoc ſchemate laborans, in turpiſſimam mollitiem ſolvitur. Veſtis fartum in prægnantium ſarcinam puellę diſtendunt, cùm vix ſororiare cœperunt, prævertunt utero nuptias, gravidæ priuſquam conceperunt: imò fortaſſis

gravidæ,

gravidæ,quò vitium celent. Compositò & suffarcinato tumore luditur,ut videantur velut per delicias uterum ferre,cùm non ferunt, ne videantur, cùm ferunt. Perit virginitas, ne pereat. Carmine hæc stultitia perstringenda est. (*vannum,*

Bajulat Ischiacam lascivo pondere
Et tumido gaudet virgo placere sinu.
Dant humeros coxæ, medio quoq; corpore collum (*mæ.*
Surgit, vix geminæ circuitu spithamæ
Membrorum deforme chaos: gula proxima pubi est,
Et ventris cœpit pectus habere locum.
Cur astutus Amor, cur sit cordata libido, (*pit.*
Quæris? quâ prurit femina parte, sa-

Non oris tantùm, ventris quoq; fucus est:cum onere ire, sedere epulari, deliciæ sunt; & quæ mox futura mater,tanquam virgo saltat;quę prolem dabit,maritum necdum repperit. Ergò quocunque voto nuptiæ quæruntur. Vt dotem augeat,uterum fert

quæ

quæ ducitur: & priuſquam agrum ſuum ſponſus cœpit colere, jam ſeges in herba eſt. Si remoto velo nudam veritatis vocem admittimus, Virginitatis florem non omnes puellæ nuptiis conſecrant: niſi citra aquæ ignisque ſolennia nuptiæ ſunt. Memini fuiſſe nuper, eámque non è vili ſtirpe, quæ cùm in alienam familiam tranſiviſſet, perſtrepente adhuc Hymenæo, Junonis Lucinæ opẽ invocaverit, & inter rudes adhuc novi mariti amplexus enixa ſit, eâdem nocte, eodemque in toro & ſponſa, & puerpera. Digna meherclè, quæ gravida ſæpius eſſet, nunquam nuberet: aut quæ unius ſponſa, nullius uxor, æternam divortii pœnam viduo quotidie lecto renovaret. Sed *Batti* Sophiſtæ nuperum facinus ſi in exemplum veniat, pauciores virorum currucæ laborent infamia: & ſeveriorem vernantibus puellarum annis legem Caſtitas præſcribat. Is quam defloratam duxerat, ne uxo-

rem

rem quidem putavit. Serò deprehensa est uterum ferre, quæ tanquam virgo venerat, & spurio pudoris flammeo velata. Jugum passa, priusquam nuberet; tam fœcunda extitit, ut secundo à nuptiis mense pepererit. Neque tamen acerbiore tum quidem vultu animum maritus prodidit, aut iniquior in prolem fuit: quin demulcens uxorem & blandissima fraude metuentis ægritudinem leniens, Ne angaris, inquit, mea nympha aut præcocis puerperii hæc intempestivitas te perturbet. Sextans anni si te matrem, me quoque patrem facere potuit: non eandem mensium moram fœtui natura impendit; imò quibusdam animalibus breviorem pariendi terminum assignavit. Tradunt Genethliaci, in ipso fatali errantium stellarum circulo, alternis quoque signis commercia data esse: & ego censeo, obliquo languidóque siderum radio fœtum maturescere. Quid fit? Postquam ad vires

vires puerpera rediit, & Junoni ſuæ litavit, quod preſſerat animo conſilium Battus tandē deprompſit. Ergò, ut omne penitùs è lare dedecus amoliretur, res ſuas novā uxorē habere, iterumque virginem eſſe juſſit, & ſolenni formula confeſtim exire foras. Morem illa cogenti geſſit, etſi invita: abiit; &, quia poſt nuptias carere marito, durum erat, planctibus paternā implevit domum. Repudii infamia ad ipſum mox Præfectum loci, puellæ avunculum properavit, is tanquā gravi affectus injuria, Battum accerſit; & poſtquam temerarium facinus luculenta ſermonis auctoritate proſcidiſſet partim minis, partim precibus conciliare iterum puellam ſponſo conatus eſt. Tum verò leniſſimis verbis ſilentium Battus rumpens, Sine uxore, inquit, vivere, illepidum ſemper arbitratus ſum: lepidum verò & laudabile,

Liberos hominem educare generi monumentum & ſibi.

Itaque

Itaque deſponderi mihi puellã iſtam ſuſtinui, cùm & nuptiarum onus, & fortunarum mearum vires jugi calculo diſpunxiſſem. Ult in extremos ſumptus paratus eſſem tot liberos, quot annos computaram: & quaſi huic numero alimentũ è peculii proventu ſufficeret, uxorem, & ſimul dotem admiſi. At malum, quæ hæc præpropera & portentoſa fœcunditas! Vix in cornua iterum Luna ſe curvarat, & jam vagitum cunáſque audiebam. Pater eram, cùm nondum ſponſi nomen poſueram: & quæ ſecundo à nuptiis menſe cœpit eniti, ſeno quotannis partu auctura erat familiam. Ergò à tam crebro puerperio, heu, quantum mox incrementum liberorum! exercitus: ſed an Craſſus ego aliquis, ut alerem? Tam copioſam meherclè habere ſtirpem non poteram, niſi ut inopem. Dii meliora! in triſtem paupertatis ignominiam præcipitare poſteros meos non debui. Itaque ut ignoſcas, rogo, &

ut

ut ditiorem puellę maritum quæras, qui non hornis tantùm, ſed menſtruis continuò gignendi alendíſque liberis par ſit. Sic ille quidem urbaniſſimo reſponſo & blanditias Præfecti luſit & ſeveritatem fregit, & impoſturam punivit. Sed ut iſtuc redeam, Tripudium nuptiarum illicium eſt. Caſta, non caſta, virgo, non virgo laſcivis Venerem numeris flagitat, libidinem incendit. Quæcumque ſaltat, ignē ſe fovere, motu indicat: virum ferre poſſe, oſtentato vigore. Torquentur latera, ſinuantur femina nequid lateat, pedes, tali, ſuræ conſpicuæ ſunt; extra ambientis laciniæ fines. Videre putes,

Quem ſinus abſcondit,——

membrorū florem, cujus velut imago & modulus tremulo veſtigio ſignatur. Quod reliquum eſt pallentes illæ in facie veneres, urentes in medullis cupidines, ultimam obſcœni voti voluptatem anhelant. Hi feminarum mores ac morbi ſunt: virorū, nequid

nequid gravius dicam, quòd iisdem delectentur. De suo ævo Annæus loquatur noſtrumque pungat: *Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus, ſed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur per quæ virilitati fiat injuria; ut traducatur, quia non poteſt exui.* Ac de veſtibus quid attinet dicere? Pelliti pridem eſſe deſierunt Cimmerii, lanam & ſimplicis naturæ beneficium ſpreverunt: uſum luxus vicit; quaſi è *Comi* præſcripto, honeſtius ornari, quàm muniri. Ergò ſtultiſſimus corporis ſplendor ingenti pretio quæritur; aſſcitâ & adoptatâ undique pompâ pænè in ſimulacra migratur, nemo ſatis ornatus, niſi qui admirantiũ trahit oculos, & cultum ab humiliori extorquet. Etiam fortunas omnes veſte bajulare

ac

accepto ſigno, cingentes, cantillare, tanquam ad Mydæ tribunal cœperunt. Me inſolitum ac planè divinum melos totum hauſerat: & victus dulcedine, jam nutabam in ſomnum: cùm ecce Androgynus concuſſam admovit luminibus meis facem, omnémque ſoporis nebulam diſſipavit. Tum verò immotis ſtrictíſque oculorum radiis, & qui flammam vicerant, me intuens. An tu neſcis, inquit, Sacris meis pervigilium deberi? Necdum Solis occaſus eſt, & ſomnum ordiris? Si numen meum neſcis, inter mortales immortalis ago, Nocturni genus, Amoris Lætitiæque Genius, Δαίμων ὁ Κῶμος, παρ' ἓ τὸ κωμάζειν τοῖς ἀνθρώποις. *Comus Deus, à quo mortalibus Comeſſari eſt.* Longè latéque imperium meum provexi: & ex quo Sybaritæ toto orbe vivere cœperunt, ubique gentium color. Jam Sacra mea, *Phageſia*, ſive *Phageſipoſia* ſunt, Scriptoribus memorata, & Luxu Laſciviáq; peraguntur. Pau-

cis: totum Voluptatis regnum meum eſt; nec felix quiſquam, niſi qui meus. An & ornatum adſpicis? hic me decet, & ſexus utriuſque fœcunditatem adeptus ſum, ut dare me delicias poſſe cenſeas, & accipere. Deum viri, Deam mulieres, ſed eundem Genium venerantur neq; id à numinis ratione alienum. Veneris ſignum (ut de aliis taceam) in Cypro olim *barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro ac ſtatura virili*; ut mas ac femina videretur: quam eâdem de cauſâ Ἀφρόδιτον Ariſtophanes appellavit. Atque ego ex hac natus, referre matrem non poſſum, niſi ſexu utroq; polleam. Quid verbis opus? & Venerem, & Mercurium ſi is pater, ego dabo. Ergò pueri & puellæ adſint, viri & matronæ adſint, & ab uno ſuum quiſque ſexum numine fœcundent, ætatem oblectent. Quæ mortalium ſine voluptate vita pœna eſt. Hanc, ſi ſapere conſtituiſti, fuge; illam carpe & quem in finem benigna te Natura

tura produxerit cogita: non ut miserum dura virtute crucies animum, & è felicitatis contubernio proturbes; sed ut mollitie bees, ut suavitatibus lubentiísque omnibus irriges faveásque, velut tenerrimam brevis vitæ flammam. Itaque mortalis, *Immortalia ne ſperes, monet annus, & almum*

Quæ rapit hora diem.

Ego tam profani sermonis audaciam nulla patientia digerens, infaustum numen, velut portentum detestabar. Fuga in mente erat, sed alæ in votis: cùm ecce in densissima nube repentè septus, sublatúsque, adspirante & impellente nescio quâ aurâ, deferor, Zephyri, an Somni? Psychen putares in ipsam Cupidini regiam vehi. Sic ergò densato aeris rore sepultus, momento temporis in noctis regionem, & ignotum mihi orbem veni. Ἐνθὰ δ' Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέποτ' αὐτοὺς

Ἤελιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.
Οὐδ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὔθ' ὅταν ἄψ, ἐστὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται.
Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Hic populus, latebrosa hîc mœnia Cimmeriorum,
Quos premit æterna densus caligine fumus
Aeris impuri; & quorum Sol exul in orbe est,
Seu quando exoritur, nascenti lumine cœlum
Complens, seu terræ refugum cùm subtrahit ignem.
Nos miseros urget, longis nox cæca tenebris.

Vix udam pedibus terram tetigeram, &.

---Circumfusa repentè
Scindit se nubes,

partimque frondoso vicini supercilio amnis, tanquam itinere fessa, incubuit; partim obsessum caligine cœlum

cœlum novo noctis fomento denſavit. Cœpi circumferre oculos, & in reducta valle ſtructuræ quoddam miraculum diſtinguo.

Tectum auguſtum, ingens, non centum
inſigne columnis,
Sed quantæ Superos cœlumq́, Atlante
remiſſo,
Suſtentare queant.

Limen lauru & lucernis illuſtre, Regiam eſſe *Comi* inſano pænè titulo indicabat. Jam primis veſtibuli gradibus imminebam, cùm á tergo veſtigia mea neſcio quis preſſit, Reſpexi ad ſonum, & adhærentem ecce amiciſſimum meum *Aderbæm* video, tanquam ab eodem numine deductum. Salutavi, &, Te quoq; mores, inquam juventutis agunt, nec treſviros aliquos metuis, aut homines octo? Extra jocum: Hoc noctis, imò loci, virgula nos divina junxit. Fortunæ meæ teſtem & conſortem exoptabam; te præcipuè, quem animi ac ſtudiorũ feci. Ille me complexus

arctiſſmè, Tuus, inquit, ero, mi *Puteane*, etiam cùm non ero. Sed hoc jam neſcio mehercle, ſim, an fuerim, & an omninò à vivorum contubernio ſejunctus. Obnubilatam quippe caligine mentem gero, ne oculos dicam: Fatum me, an frater ejus Somnus ludit? Equidem è nube hic mihi natus, & in alium effuſus orbem videor, ubi mortui ambulant, & tenebræ coluntur. Dubiâ & fuſca voce iſthæc proferebat Aderba, ut planè & ipſe videretur ſermo nocte infectus: cúmque propiùs lumina admoverem, fugiſſe è facie loquentis ſanguinem animadverti. Itaque manum ejus premens, Vive mi amice, inquam, animúmq; erige. Tuti ſumus, ſi viri eſſe volumus. ubicumque oculos clauſeris, tenebræ ſunt. cæcum imitare, in luce noctem, in Sole caliginem habes. At iſte, inquit Aderba, horroris locus, velut lucus eſt; & lemures, ipſúmque dare Acherontem poſſit, atque adeò animum planè intrepidum

intrepidum percellere. Ego in numeros responsionem acuens, fortiori coactæ sententiæ spiritu dispellere inanem metum conatus sum.

Quid innocentis ergò candor pectoris,
Quid puritas beata, quid Virtus potest,
Viraginisq; dogmata Sapientiæ;
Servam nigræ si noctis auræ obnubilat
Mentem, quatitq; umbratili pectus
metu?
Audebo fari, noctis aura quid nigræ
Potest, quid umbris obsitæ formidines:
Si liberam potente virtus asserit
Mentem manu, si candor atque puri-
tas,
Viraginisq; dogmata Sapientiæ?
Animo pavor; caligo teda sternitur.
Non pugna turpis, aut periculum; fuga
est
Non qui timet, sed qui timore vinci-
tur.

Ergò robur colligamus, & quo communis ducit Mercurius, porrò eamus. Superbissimam istam, & dignam *Como* Regiam vides? penetremus.

aut me Genius fallit, aut cum fructu, imò voluptate audacia noſtra erit. Dixeram & jam promovebam pedem, cùm è proxima cavea, ac planè Diogenis domo, ater procurrens canis, impetum in nos fecit: rigebat auribus; hiabat naribus, & ore minabatur. Latratus verò, tergeminæ imaginis mendaciſſimo ludibrio redditus, novum nobis terrorem incuſſerat. Cerberum eſſe, pronum erat ſuſpicari. Itaque converſus ad Aderbam, Nunc vivere nos deſiiſſe dicito, inquam; Orci iſtam aulam eſſe, & trifauci rabie munirì. At ille ſolerti ingenio ſcenam hanc explorans, Nimirum hoc tenebris, ait, deerat; fabulis mendaciiſque terreri quoque debuimus, & Cerbereo latratu. Ergò, vigila, inquam; imo ut ſcias quàm ſecurus ſis, dormi. ludo fallimur, & præter vocem nihil hic quod lædat. Tandum illum latrantis rictum obſerva: dices. Ubi oſſeus in ore candor, ubi dentium excubiæ ſunt? Mollis

lis enervísque ſonus omnis, nec torquetur, ſed cadit, Ille excepit, & Hercules, ait, aliquis furorem compeſcuit, miſellúmque edentavit? Vivit monſtrum tamen, integræ & illæſæ fauces ſunt; & hoc agendum, ne latratu mordeat. Agendum inquam, & quia catenis liberum, ſilentio alligandum eſt, Tu Sybillam age, &.

Melle ſoporatam & medicatis frugibus offam

Objice:

ego mox, *cuſtode ſepulto*, aditum occupabo. Riſit præpoſterum jocum meum Aderba: nec moratus, lapidem humo ſuſtulit, graviq; ictu frontem Moloſſeam percuſſit. Canis incondito ululatu dolorem vulneris teſtatus, titubante gradu in vindictam ruebat, & in umbras noſtras ſæviit. Sed rabiem iterato jactu Aderba repreſſit, brutúmque ſtravit. Geryonis diceres, cecidiſſe Gargittium, & læthæa totum nebula inundatum. Dum jacentis habitum contemplor, notavi

formam & formididem insolenti modo fictam: rostrum persona velatum, reliquum nescio quibus exuviis corpus. Collum armilla cingebat aurea, ferreis distincta clavis: in cujus limbo hic titulus.

LYCUS CANIS, FRATER CERBERI, DELICIUM COMI, CUSTODIA REGIÆ. SI QUIS AUT LAPIDE MEICERIT, AUT FUSTE PERCUSSERIT, LÆSUM NUMEN SCIAT, ET FATUM, EXPECTET HECUBÆ, ÆTERNUM CUM LARVIS LUCTATURUS.

Cùm legissem, directis in me Aderba oculis, Periimus, inquit, quantum audio, ac plane barathrum nos habet, nisi repentinum salutis iter Fortuna ostendit. Ita inquam, ut minæ sunt, grave hoc facinus tuum aut commune potiùs; & Deorum hominúmque omnium iris plectendum. Jam ad certamen se Aderba componebat,

jam

jam gradum formabat, ut larvarum aliquod agmen exciperet, cùm repentino clamore ac tumultu Regia personuit. Ego tanto horroris classico non leviter percussus, planè metamorphosin nostram expectabam: & ecce longa Bacchantium turba se explicuit digessítque; obviam Regi suo itura, jam advenienti. Tum Lycus ille, humi fusus, & mortuo similis, sive luce (nam faces preferebantur) sive clamore experrectus, in pedes velut è somno exiluit; & totus ad blanditiem compositus tanquam delicias Hero faceret, gestientem agitabat caudam. Aderba bonum factum putavit, tam bella uti occasione: &, In hanc turbam, dum licet, nos mergamus, ait, æstus ipse aliquem securitatis portum aperiet. Interea *Comus* Luxu Lasciviáque stipatus ingreditur: & quid attinet pompam explicare? Horæ suavissimos Veris odoris, omnémque florum purpuram spargebant. Amorem Gratiæ, Deli-

ciæ,

ciæ, Lepores, ceteræque Hilaritatis illices sequebantur: Voluptatem Risus, Jocúlque. Cum Saturitate soror Ebrietas erat, crine fluxo, rubentis Auroræ vultu: manu thyrsum quatiebat: ac breviter, totum Bacchum expresserat. Juxtà, Insania, Furor, Rixæ, Jurgia, Pugnæ: tum vomitus, Cruditas, Morbi.

Et subitæ mortes, atque intestata senectus.

Sed inter haïce maculas aliqui cum dignitate relucebant, Septem viri Epulones: Tribuni voluptatum. In extremo agmine Lurcones: Comedones, Ventres, & Nepotum, Apiciorúmq; turba: Erat etiam qui Sardanapalum, qui Lucullum, qui Heliogabalum referret, & ne Philosophus deesset, qui Epicurum: Pulchrum scilicet, in sapientiæ sinu Luxuriam abscondere, & a blando nomine patrocinium vitiis quærere, & quoddam velut velamentum. Innocentior quidem ista sententia est, *Sancta Epi-*

curum & recta precipere, & ſi propius acceſſeris, triſtia: voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur: & quam nos Virtuti legem dicimus, eam ille voluptati. Jubet illam parere naturæ: parum eſt autem luxuriæ quod naturæ ſatis. Quid ergò eſt? ille qui deſidioſum otium, & gulæ & libidinis vices felicitatem vocat, bonum malarei quærit auctorem: & dum illò venit, blando nomine inductus ſequitur voluptatem, non quam audit, ſed quam attulit. Sic vitiorum infamiam à Sectatoribus Magiſter capit, & in *Comi* contubernio Epicurus, quia Epicurei. Porrò ſequebantur, & totius pompæ veſtigia premebant cæca caligine Nox, Tenebræ, Somnus, Silentium. Torpor, Terror, Horror, qui in limine, aut primo ſtatim atrio tedarum, & refulgentis undique metalli ſplendore diſſipati, evanuerunt. Umbræ tamen audaces quædam, olímque menſarum aſſeclæ, irrepere, & penetrare mihi vilæ, quibus & ipſe *Comus* famili-

familiaris dicebatur. Interea

--vario ſtrepit icta tumultu
Regia, pars oſtro tenues auróque ſonantes
Emunire toros, altoſq; inferre tapetas:
Pars teretes lævare manu ac diſponere menſas.

Lætiſſimo obſequio tota fervebat domus. Tot coqui, ut in unam coquinam migraſſe forum Romanum videretur: tot famuli, ut exercitum diceres.

His labor incerto torrere exſanguia ferro
Viſera cæſarum pecudum: his cumulare cquiſtris
Perdomitam ſaxo Cererem.

Admiratione defixus hærebat Aderba, & ego manum ejus premens, Vigila, vigila inquam, niſi imago me numinis fefellit & oratio, ſolennia iſta *Comi* ſacra ſunt, & ut ſpectentur, fiunt. Oculos para & applauſum, poteris inter myſtas eſſe, Ille adverſum intuens, De Myſtis parce, inquit: ad iſtas

istas aras profanus esse nil moror: spectare tamen si me voles, Argus ero, non Aderba, & ridendam animo scenam imprimam. Quinetiam, dum fervet hic undantis & obstreperæ turbæ æstus penetralia inimus domus, & furtivi spectaculi promulcide nascentem curiositatem excitamus? Annuo, simúlque per confertam hominũ frequentiam transverso nisu viam aperio. Sequebatur Aderba, &, cùm vultus, quorundam impudentia, stolidos, pleroſque personatos videret. Quid istũd ait in aurem mihi susurras: an membra jam lasciviæ desunt, & vestire faciem mortales incipiunt, cum pudoris damno? Etenim plus hic larvarum est quàm hominum. Ego subrexi oculos, & rei novitate commotus, seniculi adstantis laciniam duxi. Dic pater, inquam, an his obscœna facies, & velari debet? Ille ridens, oreas vides, ait, & his vinclis oris dentiúmque feritas coércetur. quos homines putas, lupi

sunt

ſunt, & è Daunia, Getuliáve monſtra morſu infeſta. An dicam etiam? Sub Perſona, vivere pulchrum eſt: frontem fingere, ut animus lateat: ſimulationem induere, ut mores commendentur. Tamen ejuſmodi infulis Sacerdotes ſuos *Comus* inſignivit, perpetuáſque in Regia ſua voluit eſſe Quinquatrus. Hoc ſermone non illepido excepti, ad fauces adverſi liminis pergimus. Hîc adoleſcens cum amphora & cyatho ſtabat, & intrantibus propinabat vinum. Is cùm meraco & nectareo ructu, utrumque ſalutáſſet: Si fortè ſicci, inquit, iſto rore palatum imbuite: tam ſacer hic locus, ut jejuno, etiam ſpiritu inquinetur. Hauſit prior Aderba tam religioſam fragrantiam, & converſus ad me, Liba, inquit, & æternitatis deſiderio, animum accende. Etenim reliquiſſe mortales videor.

---Iliaca porrectum ſumere dextra

Immor-

Immortale merum, Steriles transmiſimus annos,
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Dixerat; & ego ut riſum jam ebullientem poculo reprimerem, eâdem pectus ambroſiâ prolui. Tum converſus ad Pocillatorem, Iſti quidem latices, inquã, tam divini, ſitim apud ſaturos inveniãt, & in ſympoſii calce. Imò ait, ut delicias ſcias noſtri Laris, hunc liquorem vernulæ profundunt: potentis Bacchi pretium norunt, qui cum *Como* cœnant: & cum dicto in Sacrarium tranſire nos juſſit. Vidimus in fronte nudæ Veneris ſtatuam è pario marmore, tanquam è rore ſpumantium fluctuum educatã. Quid attinet cum formæ detrimento formam adumbrare? in Venere Venus, & in toto lapide Voluptas ſpirabat. Cupido puer la'civo geſtu matris æmulus, pinnis, arcu, & flammis armatus cæco impetu amoris telum vibrabat. Ad dexterum parietem

Bacchi

Bacchi ſignum erat. Autumni maturo ornatu muſtulentum. Thyrſus pugnum implebat, hujuſque mucronem lambentis hederæ nexus exarmaverat: dicere ſebria quaſſatione ipſa non tantùm motu folia, ſed ſuſurro animata. Siniſtrum latus Ceres occupabat, ſpiceis ſertis caput cincta, & qualis in Eleuſiniis ſacris colitur, benigno cornu beatiſſimos ruris honores fundens, aureâmque ubertatem. Cultores ſuos hæc numina invenerant, & jam genua laborabant ceratis deliciis votorum. Legebam dapes, merum, formam, & quicquid Gula aut libido poſcit. Murmur verò totum locum humiléſque ſuſurri impleverant; &, ne priſcus libidinis geſtus deeſſet, dexteram plerique, primore digito in erectum pollicem reſidente, ori admovebant, bonæ Veneri ſupplices. Quin hic quoque Nuptiarum neſcio quæ ſolennia; & ſacrum jugum viri mulieréſque ſubibant; uſu, farre, coemptione jungebantur. Ergò in thalamum

thalamum nos veniſſe *Comi* intellexi. Nam & virgines quædam flammeo nuptæ incedebant, quæ laneis vittis poſtes ornaverant, oleóq; unxerant, aqua adſperſæ, & pronubo annulo oppigneratæ, aliæ è gremio matrum rapi, Sabinarum in morem: ac interim Talaſſio, Talaſſio audiebatur. Dum miramur tam inſolitos ritus, ecce ſimulacra pluſcula proferuntur. Aderba ſcire avidus quibus numinibus bajulantium brachia laſſarentur, à puero prætextato, qui ſpinam albam accenderat, & pars quoque pompæ videbatur, nomenclaturam extorſit. Ille non invenuſtè, verborũ compendium quærens, digitum extendit, &, Quem primum vides, inquit, hortorum Deus appellamus, hæc ſecunda Virginenſis eſt, iſte Subjugus, tum Prema, & Pertunda: obſcœnam religionem quid exponam? ſcire, non revelare hæc ſacra licet: nec ætatem meam urge, qui nunquam non palleo. erubuit, ac ſimul

simul vultum sermonémque avertit, Ego Aderbam compellans, Hem, ingenium pueri! inquam: ad malitiam sapit. Nos autem quid hæremus? hic ad nuces, & Fescenina ibitur: castæ aures subducendæ sunt. Sic ergò perlustrato sacerrimo loco, gressus retulimus, & in spaciosam, illustrémque tedisporticum delapsi, novo splendore oculos pascebamus. Hîc Zeuxis, Parrhasius, Apelles, & siqui istius notæ, Naturæ opera coloribus vicerant; hîc Lysippus, Phidias, Praxiteles, & magni illi imaginum Promethei sudârunt, Maturæ artis mera miracula cerneres, partim penicillo adumbrata, partim celte & scalpello effigiata. Imago tamen *Comi* insigni & pervetusta pictura eminebat, quam ipsam olim Philostratus Lemnius descripserat. Ego Latinè brevitérque represento.

COMUS DEUS, *à quo mortalibus Commessari,*

Comeſſari, in thalami forib. adſtat aureis, hinc lumine, iſtinc tenebris circfuſus, tanquam in pugna noctis ac tedarum. Quid mirum contemplantis oculos caligare? non corpore, ſed tempore nox adumbratur: tempus pingi difficile eſt. E veſtibulo felicissimos in thalamo cubare ſponſos facilè conjicias. Ad hos Comus *rectà ferre greſſum videtur, ætate juvenis, geſtu mollis, facie præ vino rubicundus, ac bellè potus, face in Somnum pugnans. Sanè tedis flos ætatis ac formæ à pictoribus illuſtrandus eſt, & ſine tedis cæcutiunt picturæ.* Comi *tamen adſpectus pauxillulum nutat, umbrámque à capite & corolla trahit: cetera corporis partes clariſſimè efficta, & à facula relucent. Fragrantes autem roſæ tempora cingunt, tam ſanguinei vernantiſque floris, ut ipſos quoque putes odores pictos eſſe. Viliſſimum hîc quidem artis pretium, color. Quid reliquum* Comi? *οἱ κωμάζοντες, ſive Luxus Laſciviáque? Crotala, ſiſtra, tympana,*

na, vides: imò ſtrepitum vocéſque ab ipſa pictura audis. Lampades ſublucent quoque, unde & videre, & videri Laſcivientium ille chorus poteſt. Promiſcua verò turba hominum petulanter exſilit, mulierculæ cum viris incedunt, & communes ſoleas habent præterque morem cinguntur. Nam & mulieri Comus *indulget virum agere, & viro ſtolam induere muliebrem, muliebriterque incedere: Sed coronæ his non ampliùs floridæ, hilaritate per luxum laſciviámque imminutâ. Florum enim libertas manum adverſatur, omniſque contrectatione hilaritas flacceſcit. Plauſum etiam quendam pictura imitatur, cujus maximè indiget* Comus. *Siniſtram enim ſoror ejus dextra ita ad cavum plectit ſtringitq́, ut cymbalorum inſtar percuſſi articuli conſonent.*

Totus in hac tabula hærebat Aderba meus, & ingenioſos colores non imperitis oculis ſcrutabatur. Ego autem lentis paullatim veſtigiis aberans,

aberrans, cùm totum parietem perſequerer, video in extrema porticu, neſcio quem ſuperſtitioſo planè gradu incedentem. Ut geſtus erat, ipſis videbatur manibus pedibúſque nunc loqui, nunc ſilere: nam & ſubſiſtebat interdum, & quoties verba colligeret, nihil à ſtatuis differebat. Mox vehementiori iterum motu erumpens, ſardonychatã jactabat manum, & orationem totam ineptiſſima geſticulatione obruerat. Pulchrum ſanè progymnaſma: ſed quod non poterat ſine magno ingenii cruciatu naſci. Noctis enim Encomium orator conceperat, quam cùm ſobrius nunquam vidiſſet; eouſque laudibus efferebat, ut univerſum pænè obſcuraret cœlum. Solemque denſis verborum telis configeret: Iterum chaos erat.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe:

iterum

iterum, ut Hercules naſceretur,
In faciem verſus Amphitruonis Jupiter
Alcmenâ fruebatur: iterum Venerem ſuam Mars, Amor Pſychen frequentabat: cúmq; fabulæ deficerent, etiam maritus Nocti datus ipſe *Comus*. Addidit eadem levitate νυκτερεύτης ille: in hoc thalamo Amorem eſſe, gigni Voluptatem & naſci, vigere delicias & accendi. Mox ad Νυκτέλια ſermonis errorem præcipitans, vini & poculorum omnem hilaritatem tenebris conſecrabat. Atq; ſic conſumpto tandem lepidiſſimo argumento, cùm obſcuriorem ipſa nocte orationem finiiſſet, protraxit è ſinu pyctacium, & devorare odioſo murmure verborum aliquot ambitus cœpit, iterúmque jacto velut fundamento, meditari. Ego in Pœcilen me veniſſe arbitrabar: itaque, fronte animata acceſſi, &, Niſi impedio, inquam, dic obſecro: an & Litteræ hìc habitant? Ille tanquam è profunda cogitatione

cogitatione emergens. De Litteris rogas? ait: ita, ita, hîc habitant; nec opus tamen, aut utile

Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.

Apud Cimmerios tam lócuples ingenii doctrinæque cenſus, ut etiam ebrii ſapiant. Tu quoque ſiquid habes promas licet: non ſcire tantùm, ſed æſtimare litteras noſtrum eſt. Ac meherclè nomen ſi juvat, ſummum ingenii pretium; occaſione utere: nuſquam majores plauſus, quàm in hac ſcena. Liber frontem & facundiam donat, & ut ſcias in porticum te veniſſe; mellitos verborum globulos exſpecta, & omnia dicta factáque quaſi papavere ſparſa. Orat, quiſquis loqui audet, nec pictas temulento ore dicit ſententias, ſed eructat. Cur te celo? Tam diſertus nuper Bolenus noſter fuit, ut cum vino totam quoque cœnam declamarit. Cruda & indigeſta adhuc dictio, etſi cum nauſea, plauſum tamen invenit.

——Tanta dulcedine captos
Adficit ille animos, tantaque Libidine vulgi
Auditur.

Atque eâdem ingenii fiduciâ,

——& dulcedine famæ
Succensus,

etiam carmen, quod nondum didicerat, tentavit; tam curiosa felicitate, ut ipse videretur Horatius loqui. Hîc dormi, somnia, imò delira, & repentè vates prodibis. An tu putas tam difficilè in Parnassum iter sterni? Hiulco stridore Satyram, aut Epigramma molire, mendacia & calumnias in numeros coge, alienas virtutes mimico risu exsibila, denique vitiis, & corruptelis omnibus morum adulare; & Poëtæ nomen inveniſti. Hæc ille, & ut articulum conformaverat, longiori videbatur oratione omnem Apollinis familiam compuncturus; cùm ingenti clamore pueri nunciant, accubuisse *Comum*, & Epulones exspectari. Nec mora,

omnis

omnis illa ambulantium, differentiúmque frequentia dilabitur; ac mox tanta ſolitudo, ut videretur non hominibus tantùm, ſed ipſis quoque Litteris porticus exhauſta. Ergò manum mihi injiciens Aderba. Quid ſtamus? inquit, ſine periculo tam multorum veſtigia ſunt. ſaltem, ſtomachus tibi ſi nauſeat, ludos iterum oculis demus, & ipſam *Phageſipoſiorum* (hæc celebrai audio) pompam arbitremur. Non recuſo, inquam: præi & ſequor. & cum dicto ſeu reliquias turbæ, nos quoque ingens cœnaculum admiſit. Seorſim, pluſquàm Aſiatico circumfuſus luxu, accubuerat *Comus*. Numen aliquod eſſe, apparatus indicabat. Reliquas deinde menſas longo conſeſſu omnis ordo; ætas, ſexus ſtipaverat.

Ipſa ſinus accincta Ceres Bacchuſque laborant
Sufficere.

Quid attinet ſuperbiſſimas delicias

dispari verborum conatu referre? Pro majestate domûs, epulæ quoque erant. Quamvis enim pavimenta marmore cæsim diminuto varia emblemata referrent, quamvis laquearia laborioſâ auri picturâ coruſca resplenderent: tamen arte, pretio, & ambitione, dapes ſuperabant. Sed quantus ibi ſtrepitus, & quàm omnia furori ſimilia!

——gemina æra ſonant Ideæq; terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Jam antecœnia ad illicium gulæ defloratæ, jam fercula robuſtiora moroſa fame imminuta jam menſæ ipſæ poculorum quodam flumine inundatæ, effuſam hilaritatis procellam concitarant; cùm, ut aliquid ſui numinis ſpectatoribus *Comus* impertiret, buccearum exquiſitiſſimas lauticias in mediam turbam miſit. Hinc ſtrepitus, & tanquam mare impulſum Africo, totum triclinium æſtuabat.

abat. Nos unda quoque hauſerat, & reciproco deinde motu in extremam columnam, velut ſcopulum, pænè illiſit. Ergò parietem, ſeu littus legimus: & ecce ſenem video floridi adhuc oris, quem intuens, Tene video, inquam, optime & amiciſſime mi *Tabuti?* an me oculi in hac imagine rerum fallunt? Ille effuſus, Me, inquit, vides, annis conſitum, ab ipſis huc Inſubribus poſtliminiò delatum. Ego iterum: An tantum ætatis ſuis etjam alis Somnus vehat? Ita ait Tabutius; & quaſi non locum dicam, ſed ætatem mutaverim, primæ juventæ imaginem, ſevera nunc cogitatione uſurpo. Acceſſerat interea Aderba, & in loquentis collum brachia expandens, tenerrimo amplexu ſalutis oſculum libavit. Tum verò Tabutius ſub extremam triclinii fornicati teſtudinem nos ducens, fari ſic cœpit.

Non mihi novus Cimmerius hic *Comus*: in meo quoque corpore

ſanguis olim caluit: aliquid bonæ ætatis ludo & lubentiæ dedi. non ſine floribus Ver habemus: nec florere omni Hora datum eſt. Itaque miſſis nugis, ad ſeria, ad quietem, ad Sapientiam me compoſui, anni animum confirmarunt. Hunc ſpecto ſolutæ corruptæque vitæ typum, ut damnem atque irrideam. Ullyſſem me putate; nihil in robuſtam Sapientia mentem Sirenes omnes poſſe: imò Democritum me putate, & tacita ſaltem cachinni cenſura molliſſimos proſcribere ſeculi mores. Vos autem alienos eſſe ab his locis maximè decet, & ne cogitatione quidem frequentare. *Comus* iſte vitiorum fomes eſt; deliciis capit animos, ut enervet. Quem videtis Luxum Laſciviámque, labes eſt, & quicquid in homine ingenui, extinguit. Quid reliqua illa & mollitie diffluens turba? noxia, & per Autumnum ſæviens aura, quam ſine morbo, aut periculo morbi non haurias. Ne

blanditiæ

blanditiæ imponant: fraudes, aut corruptelæ ſunt: non amor hic, ſed fucus eſt; non amici, ed domini. Vultus iſtos cernitis, riſu & pellacia amœnos? livorem & malignitatem tegunt. In alieno hic orbe, & extra homines agitis: incautos ficta humanitas deludet. Etiam dico? Admittere ſine damno beneficium, non licet. Exulare Candorem & Ingenuitatem *Comus* voluit; Fucum & fallaciam civitate ſuâ donavit. Itaque affectu qui carent, quicquid ſumunt aut inſumunt, imputant; hactenus blandi, ut obligâſſe videantur. Tunc frontem & imperium ſumunt, & niſi ad arbitrium Amicum habent, odiſſe incipiunt: cùm habent ſatis ſuperque amoris eſt, non deſpexiſſe. Hem! non hoc præſtare beneficium; eſt vendere: & quaſi lucro poſtponi amicus debeat, in quæſtū Teſſera venit. Sed, ſi ex vero loquendum, has maculas ambitio induxit, & poſtquam promptiſſimum humanitatis offici-

um luxu inquinatum est, omnis mensæ & simul amicitiæ usus periit, Exemplo malim, quàm verbis loqui; & vos ipsi, Amorem & Frugalitatem jungi posse scitis. In domo & convivio nitor amandus; sed ingenuus, & quem modestia ipsa præscribit. Videri ipse hilaris quàm solicitus malis, & videre talem quem excipis, ne apparatu percellatur. Pompæ & portenta luxuriæ quem delectant, Sapiens arcet: Fortunæ suæ vires sumptu non ostentant. Vitæ placeat regula, quæ oculos amici testes sustinet, amátque publicari Delicias mentiri, ut progenio vulgi sapias, stultum est. Laudo domum, in qua nihil domino melius est: in qua nec suppellex luxuriat, nec κυλικεῖον superbit, nec tori ornantur, nec parietes vestiuntur, ut fucum faciant. Epicteti præceptum est: *Noli tabulis & picturis ædes tuas occupare, sed modestia, sobrietate, tẽperantia depingito. Quod enim alienum accedit, impostura*

poſturâ quadam ad paſcendos oculos, adhibetur. Modeſtia verò eſt innatum, & indelebile, & perenne domûs ornamentum. Inſpici vita cujuſque & mores debent, & ab una aliqua cœna tota victus ratio cenſeri. Ita quidem ſine moleſtia convivium paratum, etiam cùm imparatum eſt: nec qui ex improviſo venit, opprimit. An quis volet, ut adventum ſuum macellum ſentiat? ut *culinæ fumus* (Senecæ formula eſt) *vigiles terreat*? ut vicini omnes ſciant, hoſpitem, aut convivam adveniſſe? Malus, qui amici affectum ſumptu ponderat: ſed ſtultus & reprehenſione dignus, qui in alienum honorem intemperans facit ſumptus, ut æſtimet: qui, ſi quid debet, demenſo menſæ pretio pariat: qui vocat, quem venire nolit: qui excipit, ut arceat. Miſerum beneficium, cùm in gratiam menſa cedit, & pro hoſtimento fercula ſunt ac numerantur. Ut vivit Sapiens, ita & amicum curat: nec minùs exemplo, quã

sermone ad sobrietatem se componit. Quorsum in Luxum severa oratio, si mensa discrepat? & Curios præcipiam, Bacchanalia si amplectar? Odi homines, quibus in ore sententiæ natant, in animo nutant, qui paucis litteris immane sapiunt, sed vanitate & ambitione occupantur. Hoc age, ne á studiis mores discrepent, ut dicendo pariter ac vivendo bonus sis, & affectus tuos regas. Oppugnare verbis Fucum Luxúmque potest, qui Moribus cœpit: & oppugnare ego audeo, quasi cœperim: apud vos certè, qui mores, pro ingenio bonos, amatis. Tales autem amicos presentes quid ni cupiam? cur Larem non pandam, quibus animus patet? non invitem, qui excipi sine apparatu gaudent? Vos volo, imó uoco, ex animo lætus sim: sed intemperantem, &

—superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, & res

Despicis

Despicit exiguas.

Mihi nec lubet, nec licet etiam ad exemplum sumptuoso esse, aut ad polluctum quemquam vocare, ut Herculi placeam. Ita cibum amicis paro & convivium instruo, tanquam solus cœnaturus; nec ostendere frugalitatem meam pudor est, qua nemo nisi intemperans offendatur. An erubesco dicere?

Plebeios calices, & paucis assibus emptos
Porrigo:

tum lances patinásque, in quibus præter cibum nihil æstimetis; imò ne cibum quidem, Apicii si veniſtis. *Placet cibus* (& hæc ad tranquillitatem Philosopho via est) *quem nec parent familiæ, nec spectent: non ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus: sed parabilis faciliſq;, nihil habens accersiti pretioſive, ubilibet non defuturus, nec patrimonio gravis nec corpori, nec rediturus qua intraverat.* Et quid opus arte nidorem quærere, & unam aliquam

quam cœnam plurium dierum expensis onerare? Citra luxum hilaritatem inveniam, & delicias honestæ voluptatis. O suavem illam mensam, quæ famẽ castigat, sed ut provocet: quæ vigorẽ alit mentis, non obruit: quæ pascit, non saginat. Sic demittendus conviva, ut qualis venerat, redire postridie possit. Maximo damno cœnat, quisquis valetudinem impendit: sed nimium quoque pro sumptu præmium exigit, qui imperio utitur, & cibo potúque ad morbum compellit.

Dixerat Tabutius, & simul decumano epulantium plausu ad novam convivii faciem conversi sumus. *Comus*, ut novis illecebris vergentes ad insaniam stimularet, substractis in tumulum stragulis, truncũ corporis erexit, & gesticulantes explicuit manus, ad cytharam canturus. Jam dextra silentium poposcerat, omnémq; illum clamorem sedaverat, & impellere solerti digitorum ingenio nervos

vos cœpit; imò jugi ac planè molli carmine chordarum melos animavit.

Limen ſuavioris
Qui læve pulſat ævi,
Nomen bonis daturus
Sacris Phagesiorum:
Condiſcat ille molli
Ditare melle guttur,
Dotare pectus udo
Mitis lepore Bacchi:
Condiſcat ille fracto
Terram gradu pavire,
Fulvæ vigil lucernæ,
Et ebriæ lucernæ,
Cultor, novúſque Myſta.
Noctis, Meríque Myſta.
Nil turpe, nilque factu
Fœdum putet: latere
Caliginis ſub atræ
Velo poteſt opaco,
Quod turpe, quódque fœdum,
Quid ergo? quid moramur?
Cur non ſacro gemella
Luſu furit Voluptas
Dulciſſimi Lyæi,

Dulciſ-

Dulciſſime Diones?
Veni, veni Lyae,
Te Comus *atque* Comi
Florens rogat caterva:
Veni, madere ſuave eſt:
Veni, perire ſuave eſt.
Pleno vetuſtioris
Florem cado Falerni
Carpamus O Sodales.
Truſtis, ſcyphis, diotis,
Carcheſiis, culignis
Delere fas ſeverae
Nævos notáſque mentis,
Nævos notáſque frontis,
Et tu veni Dione,
Veni, veni Dione,
Riſum, Jocúmque prome
Vrentis & ſurentis
Duces ſatellitéſque
Cupidinis procaces.
Veni, ſinúque prono
Nectar ſalax, favóſque
Largire, Lacteumq;
Rorem ſuavitatum.
Triſtes abite curae:

Tran-

Tranquillitatis almæ
Hæc Sacra sunt, perire.
Hic Gratiæ decoræ,
Hic illices Amorum,
Lascivientiumq;,
Libidinantiumq;
Hic luctabasiorum,
Compressiunculorum,
Et morsiunculorum,
Jam puberis puelli,
Jam nubilis puellæ,
Hic Fervor, & Juventas,
Lubentiaq; sunt hic.
Hic ipse Comus, *ipse*
Adsum pater Leporum,
Adsum pater choreæ,
Et arbiter Jocorum,
Et Elegantiarum
Nocturnus, ille vester,
Mortaliúmque molle
Numen. Perire vestrum est:
Sed molliter perire,
Perire non perire,
Quem non juvet virenti
Bacchique, Cypridiq;

Umbrare

Umbrare fronde frontem?
Licebit & venusto
Rorantium impedire
Serto caput rosarum,
Micantium q3 florum.
Ergò juvet perire:
Madere, non perire:
Prurire, non perire:
Pictam q3 mollicellis
Signare humum choreis,
Et igneis ocellis,
Et uvidis labellis,
Et ebriis medullis
Libare blandioris
Vernantem Amoris auram,
Catullientis auram.
Hoc puberes puelli,
Hoc nubiles puellæ,
Hoc omnis ordo & ætas
Agat: perire suave est,
Sed suaviter perire,
Perire non perire.

Cœnaculum totum ad psallentis motum arbitriúmque videbatur flecti Convivæ attoniti, & velut extra se

ſe poſiti fugientem in auras harmoniam ſenſu errabundo ſequi: menſæ, dapes, cyathi, atque ipſæ circumquaque imagines ſtatuæque hominum inſtar, vivere & geſtire, faces & lucernæ, criſpati ſoni aeríſque gyris percuſſæ tremulis laſcivire. Ridebat interim inſolentis ſtultitiæ miraculum Aderba, cùm neſcio quo infortunio, abacus omníſque illa liventis auri argentíque congeries cecidit. Ego ſuſpicatus vaſa quoque vivere & ſaltare ebria, magno ſplenis prurítu laborare cœpi, nec jam ampliùs impetum compeſcens, in liberrimos cachinnos erupi. Sed ô meum infortunium! Suſpenſæ circumquaque lucernæ laqueare velut cælum diſtinxerant totúmque triclinium non minùs fumo, quàm lumine implêrant. Sed ab his aſtris malum aliquod proficiſci, ne quidem libuit ſuſpicari. Irradians tamen noxiúſque velut Saturni lychnus capitibus noſtris imminebat pendulo fluitans motu,

tu, & tanquam ab ipso strepitu tumultúq; impulsus. Putares hic quoque vacillantis ebrietatis vitium esse: nam & hedera totum argentum vinxerat ornaverátque. Ergò conversus ad meos, Vino, inquam, an oleo flammula hæc nutritur? an corolla fallit? Ne quære, inquit Tabutius: etiam ignem Bacchus donat, & à lucernis insania venit. Quid opus est dicere? quasi non cyathi tantùm, sed & lampades inebrient; famum quoque tota cœna convivæ bibunt: sitis in ebrietate per nebulam quæritur. Sed quod magis mirere homines hic aliqui velut lucernæ sunt, & coronati sedent. Vides corymbos, hederam, myrtum, more veteri; imò quod nusquam factum, ut Apollinis furor in convivio lasciviat, pleroſque laurus non amplius pudica cingit. Sic Pegasi fontem scatere vino volunt Cimmerii: sic doctũ esse qui inter bibendũ distinguerit: Poetam esse, qui obscœnus est. Nam postquam viti hederam

luxus

luxus coronarum junxit, Bacchi Phœbíque cœpit numen confundi: poſtquam fugere Daphne deſiit, illicis Flore blanditias aſſumpſit. Dum hæc Tabutius diceret, identidem ego ad lucernam, nec ſine riſu ferebam oculos: quæ repentino quodam æſtu bulliens (nihil præter iram flamma erat,) ſtillas aliquot ferventis olei in veſtem meam extremam cum ſtridore evomuit lanæque nativum candorem, nec fullonis adhuc operam expertum, pingui macula infecit. Aderba non ſine ſtomacho ſupiciens, Ergò, inquit, injuriarum nos quædam hic mancipia ſumus, & peſſimis inſontes modis urgemur? Nunc latratu umbræ lacerantur, nunc ardenti humore veſtes conſpurcantur, & à cane in lucernam rabies migravit. Sed ille quidem dexteræ meæ vim irámque ſenſit: & tu fuſci luridique luminis impuriſſima anima ſpiras etiam, & exultas? Simúlque in vacuam, quæ aſtabat,

ſellam

ſellam evadens, valido pulmonis niſu flammam nequicquam reluctantem difflavit in nebulam, penituſque extinxit. Sic igitur denſo fumo quicquid erat luminis ſepultum eſt; cumque fœdiſſimo nidore vindicare fatum ſuum videretur, nos in proximum conclave Tabutium præeuntem ſecuti ſumus. Hîc quies erat, & præter morem Regiæ, alcedonia quædam noctis. Etenim languebant tedæ, & lucernæ pænè aridæ tenue & extremum lumen ſpargebant. Somnus etiam, perfractis feneſtris, illapſus, ſuaviter diffundebat papaver ſuum. Sed jam antè vinum quoſdam vicerat aliíque non tam corpore, quàm ſopore, ſedilia impleverant; alii in ipſo pavimento conjunctis marcebant capitibus, cirneas adhuc complexi. Aderba delectatus tam ſuavi ſchemate, Quid, inquit, an & hi Poëtæ fiunt; & in porticu recitabunt? Ego excipiens tam amœnum dictum, Scilicet, Muſarum hic Apollo

pollo, inquam, *Comus* eſt: ſed in pœnam iſti dormiunt,

——frangent ſubſellia verſu,
Et tamen eſurient.

Tum Tabutius toto Sapientiæ habitu frontem induit, &, Quæ videtis, ait, imò quæ vidiſtis nova, lubrica, noxia ſunt; & his tamen mens, perverſa conſuetudine corrupta, delectatur. Vos hîc ſedete, & audite, mihi loqui lubet, &, quia ſine arbitris ſumus, in ſilentii hoc ſecreto ſtultiſſimos *Phageſipoſiorum* ritus enarrare.

Sapere quidem bono ſi exemplo decreviſtis, alius ævi mores inſpiciendi ſunt, cùm voluptatis jugum ferre mortales nondum didicerant. Nunc enim tenebris circumfuſis, & plus quàm Cimmeriis, omnem liberi pectoris majeſtatem protrivimus, &, quod extremum infelicitatis genus, quiſquis ſibi ſervit. Animos erigite, quicquid impoſtura illubeſcit, ſpernite: in ſola Sapientia libertas eſt,

est, in sola Virtute gloria.

Virtus est vitium fugere; & Sapientia prima,
Stultitiâ caruisse.

Anne sapere vobis videntur, qui Luxu Lasciviáque magni sunt, qui ferculis vinoque strenui, & summa Sacra *Comi* habent? In qua Regia simus, qua dominatione premamur, minimè vos fugit. Libertatem tamen animo si concipitis, ab ista palæstra alieni eritis, in qua pro oleo merum est, & poculis patinisque cernitur. Rideat, ringat, quicquid uspiam naris est; turbet, sæviat, quicquid uspiam bilis: sobrii este, mentem & valetudinem omni imperio lascivientis ævi majorem habete. Sedere, madere, garrire Conviviorum solennia sunt: mille naturæ injuriis sobrietas expugnatur. Istâm si audimus, quicquid ultra famem sitimque, grave & pro nausea sit. Ac sanè, diurnare in Convivio, aut pernoctare, annon Herculeus labor? Non

Non perſeverare, cùm aſſederis, turpe, imò ignominioſum eſt. Ut qui navem conſcendit, in poteſtate naucleri & maris eſt: ita qui *Phageſipoſiorum* undis ſe commiſit. Blandas fallaceſque invitantium voces quid refero? Sedebis inquiunt, quantillum voles, edes bibeſque quantillum voles, liber & immunis poculorum eris, & in tuo velut lare. Sed quid fit? Vix antecœnii florem prima hilaritas fregit, & alia prorſus oratio eſt:

Ede, bibe, animo obſequere mecum, atque onerate hilaritudine:

è melioribus diem iſtud habe, Genio & amicis paucas aliquas horas vive. Εἰς ἄνειον τὰ ἀνδάϊα, *In craſtinum ſeria.* An tu id agis, ut triſtitiæ velut nebulis animi vigorem obruas? Remiſſione interdum opus: *Meliores acrioreſque requieti ſurgunt.* Quippe in hunc finem Convivia inſtituta, ut vegeto quodam hilaritatis rore laſſam curis mentem imbuant erigantque. *Nar-*

Narratur & prisca Catonis
Sæpè mero caluisse virtus.

Imitare, & triſtem pauliſper ſeveritatem remove, ad curas rugáſque mox relapſurus. Mos igitur gerendus, atque etiam ingratiis. Alius lancem porrigit, alius cyathum; nemo non urget, ut amare videatur. Sic damnoſus affectus eſt, & quod miſerrimum eo imprimis officiorum genere obligamur, quo lædimur. Interea verò laſcivia gliſcit, & longo ad vaniſſimam pompam ordine, lenocinia menſæ cumulantur, non guſtanda ſolùm, ſed ſpectanda. Minimum eſt quod edimus: quaſi totam crapulam gula non capiat, etiam oculis gula eſt. An ad veterem morbum? *Non ſunt ad popinam*, ait ille, *dentibus & ventre & ore contenti, oculis quoque guloſi ſunt.* O fatuam neceſſitatem! ad fercula, imò ad pocula damnatur quiſquis accubuit: Cereris Liberíque hi vigiles quidem labores ſunt, & tunc breviſ-

ſimi,

simi, cùm maxime exantlantur. Depyges olim Athenienses dicti, quia rei nauticæ studiosi, & in transtris sedentarii, nates deplanarent: nos sumus: sed in conviviis, & longa sessione pertinacem Socratis statum vincamus. Omnes epulæ luxu constant, & quasi deliciis parum molles mora effeminantur. In noctem prandium ducitur, in diem cœna; quietem cibi non inveniunt, ut concoquantur. priùs somno, quàm insania occupari, turpe: ebrios lectulus exspectat, dimittit ebrios; nec tantum sparii popina indulget; ut edormire crapulam liceat, aut vini furorem edomare. Videte, sultis, ipsam cœnæ scenam: *Dapes* & simul *Convivas*.

Ad pompam & ostentationem *Dapes* sunt; nec *Dapes*, nisi aut voluptate morentur considentium oculos, aut invidia accendant. Ordinẽ ipsum quomodo explicem? Confudit fercula cupediarum indagine de-

fessa luxuria; & cùm desint quæ addantur, miscere lauticias cœpit, ciborúmque & condimentorum velut adulteriis nova menſç monstra dare. Cuncta lustrate ab omni Missu auspicium est. Etiam quasi pigeat esse jam singula, coguntur in unum sapores. *In cœna fit* (censuram Latini Stoici auditis) *quod fieri deberet saturo in ventre. Exspecto jam ut manducata ponantur.* Si auguria placent; cum pennis aliſque altilia inferuntur, specie & nidore magnifica; &, tanquam ignis satis non urat, aromate excocta. Tamen vivere dicas: non ut edantur, sed ut edant, in mensam involasse. Turdi, conturnices, perdices, infaustæ aves sunt; & vilioris gulæ. Nisi & in ferculis divini adulteria memoria placuisset, exularet Cygnus: nunc spectatur saltem velut strenuus compressor Ledæ, & è stagnis in mensam translatus, hic quoque natat. Pavus ipse, olim Samius, nunc Cimmerius, omnis

omnis Convivii verna est; & vix jam, floridam illam pictámque tot oculis, totoque adeò Argo caudam expandens, oculos mulcet. Sic tamen inter tot faces, quæ lucent, nubem aliquam versiculorum, pluviúmque arcum videas: fica à nube umbram, in qua non epulari tantùm possis, sed prœliari. Nam quædam velut pugna ipsa cœna; milites: & castra cibi sunt; imagines lurcamur, arces & urbes expugnamus, ac diruimus: toto Convivio Bellaria sunt, tanquam à bello dicta. Lepidè, & ad rem Manilius.

Luxuriæ quoque militia est vigil, atq; ruinis
Venter; & ut pereant suspirant sæpe nepotes.

Summa, quicquid rarum aut difficile paratu, saporem duntaxat habet: & hæc jam delicatæ esuritionis ambitio est, ut non possit nisi pretiosis cibis sedari; si tamen sedari.

—Numidarum pascimur oris,

Phasidos & damnis: arcessitur inde macellum,
Vnde aurata novo convecta est aquore pellis.

Satyricè,& tanquam Arbiter dicam:
Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato;
Quod non sunt faciles: at albus anser,
Et pictis anas enovata pennis,
Plebeium sapit. ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Siquid naufragio dedit probatur.
Quicquid quæritur, optimum videtur.

Imò ignorari debent quæ ponuntur. At ne sic quidem palatum, deliciis languidum, invenit quo excitetur. E culina quicquid promitur, aut origine, aut fuco peregrinum est, aut utroque: adeò, ut si quærere pudor, quid comedas, quomodo comedas, cogaris. In tanto & tam vario Luxu, etiam colores gula poscit, sordentque cibi, nisi auro argento, minio maculentur. Facit *Commu*, quæ nec Lucullus, nec Trimalcio cogitavit, utroq;

utroque antiquior. Sed Dii boni! quid cura aut ſumptu opus? *Quid opus eſt*, ut Senecæ verbis utar, *tot artibus ventri ſervientibus? quid mercaturis? quid vaſtatione ſilvarum? quid profundi perſcrutatione? paſſim jacent alimenta, quæ rerum Natura omnibus locis diſpoſuit. Sed hæc velut cæci tranſeunt, & omnes regiones pervagantur, maria trajiciunt, & cum famem exiguo poſſint ſedare, magno irritant*, O vanos! ô perverſos! Nam iſta omnia tam ſumptuoſè quæſita, tam curioſè ſtructa, quid ſimplici ferculo melius habent? Ventrem, ſeu cloacam ſubeunt, & comeſta eadem fœditate occupantur. *Vis ciborum voluptatem contemnere? exitium ſpecta.* Imò vis ciborum ambitionem contemnere?

Convivas ſpecta, & ridiculum auſpicium laſcivientis Canopiſmi. *Mollibus lenibúſque fomentis totum laceſſitur corpus; & ne nares interim*

ceſſent, odoribus varijs inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur. Placere aër non poteſt, niſi unguentis & ſuffitu corruptus. Sic quoque ciborum nidor vincendus eſt, ut ſuam nares voluptatem inveniant: ſic ad Cimmerios tota migrare Arabia debuit, nequid Laſciviæ deeſſet. Ergò nec ſine mollite Lavatio eſt, & ut ſciatis ſordes æſtimari, meliorem aqua (quam optimam tamen Pindarus vocat) ſuccum invenit *Comus*, floribúſque rorem expreſſit, quo abluantur. Viles, quia ſine fragrantia, fontes ſunt; & quibus, ſaluberrimo naturæ inſtinctu, pellere ſitim olim mortales ſolent, nunc quidem fuliginem dedignantur. Ite Cimmerii, & Victuæ Potuæque aram ornate; ſic ad *Comi* formulam vivitur. Prima verò & moleſtiſſima de ſeſſione herciſcunda velitatio eſt. Locum quiſque fugit, ut occupet; modeſtè, graviter, officiosè aſſidet, ut quàm diſſimillimus

millimus ſurgat. Etiam Sciſſoris munus controverſiam facit, quęritur-que qui cœnam virginem, non ſine venere violet. Ex more ſcilicet, ne quæ ſuperbè parata, ſine pompa de-ſtruantur.

---Nec minimo ſanè diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores aut quo Gallina ſe-cetur.

Arte igitur opus, & erudita quadam manu: quam, ut promptam alii cum oſtentatione habent: ſic moroſam alii, ne peccent; ut etiam non guſtare malim, quàm ſecare. Sic verò inta-cti aliqui cibi remanent, & vulnus effugiunt, mox famulorum manibus lacerandi. Hi mores ſunt: ſed quos divitiis ſuis fovet, quiſquis vitiis ele-gans, omnémque in Luxu felicitatem vitæ, atque famæ ponit.

Vocem hic contraxit Tabutius, & velut ſermonis materiem colligens, ſeria hæc mente, quę dixerat, digerere nos juſſit atq; paullulum etiam, ſi lu-beret inambulare. Surrexit ipſe, & ſe-

dato paſſu nos ducens, longioré orationis ſeriem promiſit. Jam repetitis ſpatiis, aliquoties conclave emenſi eramus, cùm experrectus ex iis unus qui ſtertebant, & deliquio lucernarũ perturbatus, accurrit, flammulaſque fugientes infuſo oleo revocavit. Sic momento repulſa nox fuit. Ille verò quaſi minimũ etiam guſtum hauſiſſet ſomni, non perfunctoriè dormire iterum cœpit. Itaq; cum novo lumine nova Tabutio diſſerendi occaſio nata: ſed dum aures animúmq; arrigimus, & dicturientis auſpicium officioſè veneramur; ecce è triclinio, pallium trahens, *Eupantus* advolat, cõmunis ille noſter, non amicus tantùm, ſed Genius; purpureo virtutis colore venuſtiſſimè perfuſus. Loqui parabat: ſed Tabutius prævertens, Hem, inquit, an ſic delicias *Comi* deſeris, & hilaritatem? Ubi corollæ? & cur non faciem iſtam obumbras, ſic multo rubore & igni læſam? Imò ait Eupantus, non frontem tantum ſed

faciem

faciem & caput, ut hinc fugiam. Etenim iraſci Cimmeriis omnibus poſſem, iſtum mihi ſi tu affectū indulgeres. Per ludum cruciari ſæviſſimum eſt, non *Comum*, ſed ludibrium, imò convitium invēnit: temulentum virus ridens Calumnia effudit. Quot linguæ, tot plagæ, voces, vibices quædā erant, vix etiam Cynico animo concoquendæ. Hac pœnarum adventitia exceptus ſum, etiam cùm peccâſſe me neſcirem. Itaque interrogavi crimen meum: & menſæ Geniū gemina ſum dictus impietate violâſſe. Tabutius velut urgens. Et qua impietate? inquit. Illa ipſa ait Eupantus, qua tu, ò veræ Sapientiæ & Virtutis germen, religioſum me eſſe docuiſti: Sobrietate, & ſilentio. Me miſerum, Parcus cibi, & ſermonis fui, & offendi: contracto linguæ peculio, σιώπηλος ſedi, & tanquam Pythagoricæ ſeveritatis alumnus reprehenſus, & petulantiſſimis garrulitatis ſpiculis confoſſus ſum. Excipiens Tabutius, Hoc miſe-

rum profectò, inquit, peccare, quia non pecces: calumniæ stigmate dignum censeri, quòd opportuno freno linguam coerceas *verbagó* (cum Appulejo dicam) *quæ volantia Poëta appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium premas*. Sed inter garrulos tacuisse, ne nunc quidem te pudeat ac pæniteat. Philosophum agit, qui suo silentio alienam ἀδολεσχίαν reprehendit.

Διὰ σιώπης πικρότερον κατηγορεῖ.
Silentio accusare licet acerbius.

Addidit Eupantus, à superbissimis madidæ garrulitatis Tribunis, exiliũ sibi paratum: ideóq; præverti velle, & eadem nocte proficisci: ut ire, non expelli videretur. Non sine servitute voluptatis apud Cimmerios vitã esse: imò ne vitam esse, æterna caligine obsessam. Hæc cum dixisset, de *Virio* amico suo quæsivit: &, vidistin', inquit, ó Tabuti? Nã in hac noctis aula oberrare dicitur; sed infortunium inventurus, nisi caverit, ac planè abierit

in

in regionem almæ Lucis. De Virio, inquit, Tabutius, pone metum: cavit, abiit, ac nos quidem idem illud iter molimur. Tu cum bono Mercurio euangelia præfer: subsequimur. Nec mora; ille, valedicto, per posticum aulæ descessit. Tum verò Tabutius, inter ambulandum Eupanti casum revolvens, disserere sic iterũ cœpit.

Inter præcipuas Commessationum maculas, cum maximo veræ & honestæ hilaritatis damno Garrulitas est: sed eó inverecundiæ processit, ut etiã virtutis nomen assumpserit. Loquacitia eloquentiam oppressit, audacia verecundiã, Si examinamus, madent vino *Phagesipoſia*, garrulitate diffluunt: linguę morbum mero accendunt Cimmerii: sobrietatem pellunt ut loquantur. At O Sermones! Nihil serii, sani, egregii & turbata mente per summam imprudentiam ac simul impudentiam præcipiti verba ore devolvuntur. Hoc vitium vini est, non meditari quæ dicas: effutire, quæ

quæ in ore nata. Τὸ γὰρ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος. *Quod enim in corde sobrii, hoc ipsum in lingua ebrii.* Verborum igitur fertilis lingua, quæ madet, & simul prodiga verborum, sed futilium, aniliũ, inutilium, quæ aures sobriæ seriæque non sustineant. Quid mirũ? ut nimbo præcipites ac lutulenti rivuli, & sordes unà vehunt: ita sermo à vino. Qualis cujusq; animus, talis oratio: sed temulentiæ illo igni evaporat. Alius merces, lites, divitias crepat: alius voluptates, & libidines: alius fastum, & inflati pectoris bullas. Modestia, simplicitas, paupertas vapulant, & sapientia vitiis infesta. Quæ quisque fecit, dixit, cogitavit in Convivio, velut tribunali, ventilantur: & temulenti censores, cùm ossibus abstinent, rodunt tamen alienam famã, qui suis ipsi in rationibus hallucinantur, alienas dispungunt. Quanti vivat quisque, quanti sapiat, curiosis culculis plebeia illa πλουτοκαγωσύνη putat:

ut

ut qui bonam mentem amat, videatur infra pecuniam positus,& cõmuni litterarum fato, a ditioribus pendere. Sunt profectó, qui, cùm præter aurum nihil æstiment, præter se neminem: honestam omnem doctrinã, tanquam sordes umbratiles fastidiunt: tam eruditi scilicet, ut eruditionem possint contemnere. Et tamen

Suarum opũ nos volunt esse indigentes,
Nostra copia nihil volunt nos posse,
Suiq; omnium rerum nos indigere,
Ut sibi simus supplices.

Sed nec morsum labores ingenii effugiunt. Epistolam scribis? Oratio poscitur: hanc pangis? ad Historiam vocaris: istam complexus es? frigidum, aut detortum elogium est. Qui ipsi nihil aut parum scriptitant censoria virgula volumina exigunt. παιδέκτας βιβλιοθήκην. Tuum illud tibi cano:

Non quanta, sed quæ quisque scribat, pensita.
Moles, laboris: pondus est signum ingenI:

Et

Et vilior laboris est laus, quã ingenI.
Ego subjiciens, rectè tu quidem mi Tabuti: ac Philotheſiis meis nuper hæc inprimis nota impreſſa eſt & parvitas objecta: quem ego tamen librum argumento magnum puto, & brevitatis acuminis, imò novitatis cauſa (liceat dicere) applauſu aliquo dignum. Etemim, ut vincto ſermone pergam loqui, (*Fide*

Quid majus eſt Amore, quid majus
Scripſi Viros Amore magnos & Fide:
Solertis alma, quos manus Promethei
Luto creavit optimo, quos præmium
Fama manet beatioris, non mori.
Pubemq; ſcripſi Amore floridã et Fide:
Pubem, Bonæ quam Mentis ardor nobilem
Facit, virumq; in numerum adoptat nobilem.

Quid tamen eſt? mole & numero librorum ſi dirigi ad optima Juventus poſſit, & fortaſſis mihi vires. ſiquid etiam ingenii, ſtili, aut eruditionis habeo, præſtare malo, quàm jactare.

Et

Et quo tendo? ad seria, ad solida, ad Sapientiam ipsam, & Virtutem: sed tuo exemplo ductúque. Ita, ita, ait Tabutius: ut ibi magnus sis, ubi nemo parvus. Præclarum doctrinæ opus, cùm quis vitam morésque in exemplum profert: cùm non quæ scribit leguntur, sed quæ agit. Bonum esse, quàm doctum laudabiliùs est: sic animum, quàm ingenium polire. E Porticu Latina vocem hanc audi-tis: *Magno impendio temporum, magna alienarum aurium molestia laudatio hæc constat*: O hominem literatum! *simus hoc titulo rusticiore contenti*: O Virum Bonum! Ut Litteratus sis, elegantia ingenii faciet, ut bonus: illa animi, & tamen nonne ingenium colimus, ut animus enitescat? Nemo flore contentus est: fructum omnes quærunt: florem eruditio, fructum sapientia habet, &

Ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐκ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός:

Qui fructuosa, nõ qui multa scit, sapit.

Imò qui docet, qui scribit. Sed nos plerumque

plerumq; fuco inutilium ſtudiorum decepti, ut operoſè nihil agamus ſplendorem in umbra quærimus, herbam in ſaxo; &,ut vivamus, vitæ duntaxat inſtrumentis occupamur. Quid litteræ, ſi tantum litteræ ſunt? quid procera & frondibus opaca arbor, ſi infœcunda? Quicquid ſolam habet voluptatem, aut inutile, aut damnoſum eſt. Sed ſtudiis quoque Luxus adhæret, & ſteriliſſimas nugas neſcio qua ambitione ſectamur. Spernite; morem Annæo gerite, ſalubriter monenti: *An tu exiſtimas reprehendendum, qui ſupervacua uſu ſibi comparat, & pretioſarum rerum pompam in domo explicat: non putas eum, qui occupatus eſt in ſupervacua litterarum ſuppellectile? plus ſcire velle quam ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt. Quid, quod iſta liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes facit, & ideó non diſcentes neceſſaria, quia ſapervacua didicerunt.* Et quænam illa quæ dediſcenda erant,

rant, si scires. Libidinosior Anacreon, an Ebriosior vixerit: an Sappho pudica: quot procos Penelope habuerit: quot remiges Ulysses, quod Achilli nomen inter virgines: quid Sirenes cantare solitæ. Alia deinceps hujus notæ, Græcis Romanisque aliquando in deliciis: *quæ*, ut idem ille censet, *sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant: sive proferas, non doctior videberis, sed molestior.*

Sed nunc satis ambulationis: ad sedilia, & simul ad sermonem abruptum redeamus. Postquam sedimus, Convivium, ait Tibutius, Calumniæ irriguum seminarium est: in quo fontes & rei trahuntur mores, boni cujusque ac mali. Hic foro cessit ille patrimonium prodegit, iste pudorem prostituit. Aliena vitia fingit quisque, aut denudat; sed novo vitio, & simul convicio. Si quis dives, scelere & avaritia factus: si quis magnus, ambitu. Ne paupertas quidem humilitásque sine stigmate aut vulnere. Putes solos bonos,

bonos, solos supra notam omnem esse, qui tam acriter senserint. Atque etiam distinctæ saltem voces sint, ac judiciorum vices! Nunc clamant, miscent, turbant, cum litigo ferè aut rixa.

Fit strepitus tectis, vocemq; per ampla volutant.

Atria.

Minimum in garrulitate vitium, loqui. Etiam mulier blaterat, aut puer: pluriumque sermones velut decussatim præliantur. Videlicet ut pertinaci vento concussæ arbores confusum tot ramorum frondiumque susurrum edunt: sic in convivio quisquis vini aura afflatus, quiescere non potest. Sed qui ipse non sanus, qui sani coloris sermonem ullum efformet? Ve cùm plures lychni lucent, umbræ rerum languent atque expallescunt: sic orationis fructus, cùm plures loquuntur. De me si quæritis, laudabile Plautini Periplectomenis exemplum sequor:

---*Neque*

—Neque ego obloquitor ſum alteri in Convivio:
In commoditate abſtinere me apud convivas commodè
Commemini, & meæ orationis juſtam partem perſequi;
Et meam partem itidem tacere, cùm aliena oratio eſt.

Qua quidem moderatione videor à bonis ſobriiſque menſarum, & morum arbitris, *haud minùs opportuni ſilentij laudem, quàm tempeſtivæ vocis teſtimonium conſecutus.* Homerus, ut cum Plutarcho dicam, τὸν λογιώτατον Ὀδυσσέα σιωπηλότατον πεποίηκε. *Vlyſſem facundiſſimum hominem deſcripſit maximè taciturnum*; quid niſi ut oſtenderet, ipſam eloquii Suadam vocis interdum exilio coërcendam? Itaque odi Conviviũ, ubi cùm loqui ineptum, ſine reprehenſione tacere non poſſis. Ineptum autem, loqui velle, cùm nemo ſilet. Ut qui ad aquæ cataracten citharam pulſet, laborem omnem & harmoniam ſepe-

liat:

liat: ita quiſquis in garrulitatis contubernio aptum & dignum auribus ſermonem ordiatur. Inter fritinnientes hirundines luſciniæ melos mutum, aut quaſi nullum eſt: inter garrulos Sapientiæ ac Facundiæ vigor, ubi iſti, optimè loquitur, quiſquis tacet. Hoc igitur crimen Eupanti fuit, *Tacuit*, id eſt, ſi preſſiùs examines, Sobrius, imò Suus in Convivio fuit, nec vini gurgite mentem de ſede pepulit. Quod Sapiens laudi vertat, id mores Cimmerii vitio. Jam dixi, ab Ebrietate Garrulitatem manare; ac quorundam etiam linguę mero imbuendæ, priuſquam ſcaturiant: haud aliter quàm organa pneumatica vento implenda, ſeu ſpiritu animanda, ut perſtrepant. Sic nimirum diſerti, revera loquaces & rimoſi ſunt, ceu pertuſa vaſa. Pulchrè Bias, cui cùm in ſympoſio ſtoliditas tacenti objecta eſſet, Καὶ πὸς ἂν, inquit, δύναιτο μωρὸς ὢν ἐν οἴνῳ σιωπᾶν. *Et quis ſtultus inter pocula tacere poteſt.* Zenonis

Zenonis reſponſum jungo (etſi & prius illud non ad Biantem, ſed Zenonem alii referant,) jungo inquam velut magnum ſilentii præſidium elogiumque, à Plutarcho expreſſum. Athenis quidam πρέσβεις βασιλικοὺς convivio excipiens, Philoſophos ſimul adhibuit. Ibi ſermone jam fervente, cùm quiſque è Sapientiæ penu aurium velut tragemata promeret, diſſereretq; unus Zeno ἡσύχιος eſſe, at tacere. Legati ſilentium admirati, comiter affari hominem, & propinato poculo, Περὶ σοῦ δὲ τὶ χρὴ λέγειν, inquiunt, ὦ ζήνων, τῷ βασιλεῖ: *De te verò, ô Zeno, quid dicemus Regi?* At ille, Ἄλλο μηδὲν ἢ ὅτι πρεσβύτης ἐστὶν ἐν Ἀθηναις παρὰ πότον σιωπᾶν δυνάμενος. *Aliud nihil, quàm ſenem Athenis eſſe, qui inter pocula tacere ſciat.* O laudabilem vocem: ô facundum ſilentium! Imitemur. Sed madidos iſtos, lingulacas, ſtolidos, quibus moroſum ſapientis, id eſt taciturni nomen, contemnamus, Etenim *Silentium*

docta

docta Antiquitas ebrietati opposuit; *tanquam profundum quiddam, arcanum, sobriumq́: cùm ebrietas loquax sit, quippe sine consilio, aut prudentia, ideóque vocalis.* Philosophi autem Græci Ebrietatem, λήρησιν πάρεργον definiunt: sive *Vaniloquentiã in vino: qua ratione*, ut Plutarchum, sequar, *potatio extra reprehensionem, si cum silentio. Sed stultiloquium vinolentiæ jungit ebrietatem. Enimverò ebrius inter pocula nugatur; garrulus ubiq́, in foro, in theatro, in ambulatione, interdiu, internoctu; ægrotum curans ipso morbo molestior, unà navigans nauseã, laudans reprehendentẽ.* Quàm sanctũ, imò necessarium jussit silentium, videtis, si quis inter tot convivorum ineptias illæsam velit mentis majestatem servare. Eupantus servavit. Ac sanè inter tam multos loquentes, esse quoque debet qui audiat: audire autem non potest, nisi sileat. Οἱ δ' ἀβόλεχοι ἀδηνὸς ἀκούσιν ἀεὶ γὰρ λαλέσιν, κ) τῦτο ἔχει πρῶτον κακὸν ἡ ὠσιγησία

ἀσιγησία τὴν ἀγνοίαν. *Garruli autem neminem audiunt. Semper enim loquuntur, primúmque hoc vitium linguæ impetentia habet, nihil audire.* Neque ego tamen elinguem hilaritatis conſeſſum faciam. In Menſa ſuave illud loqui; ſed ſi cum *Sobriis, Paucis, Paribus.* At in *Phageſipoſiis Ebrietas* ubique, *Multitudo, Diſparilitas eſt.* Obſecro, inſpicite aut potiùs audite.

Ac prima illa quidem, *Ebrietas*, niſi adſit, nec lautum, nec lætum ullum triclinium cenſeatur. Scilicet, ut inſanire ſine verecundia liceat. *Omne vitium* (aurea Senecæ verba ſunt) *ebrietas & incendit, & detegit; obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibitis abſtinent.* Sed ab eodem Sapientiæ ſupercilio plenam cenſuram uſurpemus: *Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit:*

trahit: imò & facit, & protrahit: *tunc libidinosus ne cubiculum quidem exspectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint, sine delatione permittit; tunc impudicus morbum profitetur ac publicat; tunc petulans non linguam, non manum continet; crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido: omne vitium detegit, & prodit.* Satinn' petulantis temulentiæ labes expressa? Ex more, atque adeò lege sic vivitur, & poculis, velut gradibus, ad stultissimum furorem itur. Liberi hæc Sacra sunt: Convivæ velut, Orgyophantę. Alius salutem propinat, alius vitam, alius fortunam, quisque cyathissat: nisi hauris, & numina & amicos lædis. Qui propinat, exemplo suo cogit: nec poculo alienæ favere valetudini potes, nisi tuam mergas. Sic ergo stoliditatem & insaniam quandam cultores *Comi* induunt, & ut semel mersi vino semper videntur. *Extende in plures dies, illum ebrii habitum, nunquid*

nunquid de furore dubitabis? nunc quoq; non oſt minor, ſed brevior. Et addo: *Ebrietates continuæ efferant animos. Nam cùm ſæpè apud ſe non ſunt, conſuetudo inſaniæ durat, ac vitia vino concepta etiam ſine ipſo valent.* Ita eſt, vino concipiunt vitia, ſed alunt quoq; & pergræcari ſolenne, ut ſobriam corruptæ naturæ inſaniam ebrietas excuſet. A promulſidis auſpicio hoc agitur, nec fami ſedandæ, ſed irritandæ dapes ſunt, ut ad omnem hauſtum ſitim acuas, ſine miſſione bibas. Ne ludus deſit, Cæli imaginẽ Strategus effingit, æternitatem inculcat. Tot ſcyphi, pateræ, calices, velut radiantes quædam ſtellæ, tota menſa ſparſæ, quæ varias ſignorum formàs conſtituunt. Videas, ut cum Homero dicam,

Πλειάδας θ' ὑάδας τε, τό τε σθένος ὠαρίωνος
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι.

Plejadeſque, Hyadeſq́, & robuſtum Orionã,
Et glacialem Vrſam, Plauſtri cognomine dictã.

Errones deinde vitrei illi, argentei, aurei, gemmei, ipsi adeò Planetarum genii, convivali ritu in orbem aguntur, quibus ne Sapiens quidem (da quem vis è Cynica sobrietate) aut Sapientiam professus, reluctetur. Bibendũ est, & ut bibisse dicaris, garriendum est. Solutus curis, & jam satullus ingeminat θέλω, θέλω μαινῆναι. *Volo, volo insanire.* Sed & mihi nunc versibus utcunque furere, sed sine veratro, liceat; ut temulentam hanc insaniam adumbrem.

Quæ rerũ facies, delira gaudia mensæ,
Cùm trahit insomneis fariis turba ebria noctes
Strata cibiq; madent, atq; irritatus Eoo
Liber diluitur succo: placet ingeniosa
Omnibus Ebrietas, placet exantlanda voluptas
Vini, & libatæ spumantia vota salutis.
Garrula lingua madet, verbisq; licentior, aures
Sollicitat bibulas, ducitque in fœdera luxum.

Tende

Tende manus: tremulo submittit poc
cula gestu
Herculea, & pleno affectum ructatur
ab ore — *(duce,*
Ille tuus; non ille tuus, qui vincla ca
Nectit Amicitiæ, & fucato exæstuat
igne.
Hæc tibi flamma mero constat, Cere
risque fovetur
Deliciis, moritura pari quo Solstitialis
Defectu herba solet. Facili nil semine
durat.
Tu tamen obsequere, & fugitivo vic
scera Amori *(Iacchus.*
Hospita tantisper laxa, dum ferves
Obsequere, & valido nisu submerge
profundis
Luctantem cyathis animam: sic urget
Amystis.
Projice reliquias frontis, sine nube lo
quaris;
Quisquis non sapit, ille sapit: Sic pro
lue pectus,
Ut tumidi stillent oculi, salsisque do
metur

Aura mei lachrymis. Sitit, & bibit Euchius ipſe,
Et bibitur, laſſas violato rore medullas
Cõvivæ ſubiens, et fracti regna furoris.
Te ſũrere haud ſatis eſt, ſimili niſi vulnere fortem
Ἀντίπαλον ſternas, & læſæ præmia mentis,
Suſpendas dubio temulentus Sympoſio arcbo.

Etiam ad cantum, & oſcula, imò ad aleam potant Cimmerii; nec ſatis lege ad ebrietatem cogi ſorte volunt: & hauſto ad umbilicum cyatho, ac verſo, quem caſus tulerit, novo jactu provocare. Jam oſcula, ubi alternam ſexus ſeſſionem facit, cum vino quiſque libat, & à vino ructatur: putes & hæc ipſa ſorbillari. Quid cantus? vilis, niſi viduam vocem choreæ ſocies, & nexa in orbem tripudii catena, tuis ſedendo, omniúmque brachiis ſaltes: Sic verò & ipſi menſam convivæ coronant ſtultiſſimoque cubitorum remigio

remigio fercula jam expugnata cingunt, involaturi mox iterum, tanquam Harpyæ, in prædam. Qui choreuma orditur, madida mantili tempora impedit, & quid niſi veſanæ mentis vulnus profitetur? Mox tremula voce ſingulos detruncans verſuum rhythmos laſcivum præit melos, quod certo numerorum intervallo, & confuſo omnium partim tinnitu, partim boatu excipitur denſatúrque. Sed quàm opportunè in hunc ſermonem me argumenti ſeries deduxit! Hem, vocem, imò voces iſtas auditis? aut fallor, aut hoc ipſum agitur: & ſimul orationis inducias quaſdam faciens, ſpectandi tantiſper libertatem utrique permiſit, dum leviter ipſe reſpiraret. Ego Aderbæ manum injeci, &, Quin imus, inquam, oculíſque committimus rem ſtulta novitate ridiculam? tam lepida Taburii noſtri dicta inſaniæ exemplis confirmanda ſunt. Nec moratus, accurri ad oſti-

um; cúmque æſtuantis velut pelagi litus premere viderer, ultra limen quoque greſſum protuli; & una Aderbam ducens, liberrima curioſitate, quicquid Tabutius dixerat, ſpectavi. Aliud verò, & dignum *Comi* menſâ ſucceſſit ſchema, Anus ebria, annis rugiſque obſita, quæ deforme quoddam naſi vulnus, ſive dedecus, linteolo preſſim agglutinato veſtierat, ingentẽ ſimiam catena in triclinium attrahit, pari titubatione præeuntis veſtigia inſiſtentem. Ne ſine pompa lepidæ ſpectaculi primitiæ eſſent, hoc ſeriò ſedulóque turpiſſimum agebat animal, ut deliræ mores feminæ, habitumque mimico gradu, nutuque ſequeretur. Acceſſit & illex tibicinis cantus numeróſque ſimiæ dictans, omnium jam aures arrexerat. Illa verò non imperitè ſe movens, & tanquam humana quoque ſolertia formam commendaret, petulco Satyrum vigore ſaltabat. Tantam in beſtia mirabar

mirabar induſtriam; & novo ecce artis miraculo omnem propemodum mihi ſenſum hebetavit. Nam in rapidiſſimos repente gyros effuſa, & ad exemplum trochleę, totam vertigine catenam induens, ſpectantium oculos unà rapiebat. Sic vincta, & ferreis velut faſciis involuta, numen, ſive portentum aliquod repreſentabat Niliacum, tabula & obeliſco dignum. Reciproco deinde ac contrario ſe impetu flectens & exſolvens, ad priſtinam, quam motu confuderat, redibat formam: planè ut hanc illam Empuſam putares, τὴν ἐς μυείας μορφὰς μεταβαλλομένην, quam ſaltatricem fuiſſe, ut & ſaltatorem Ægyptium illum Proteum, μιμητικὸν ἀνδρωπον, Lucianus refert. Etiam promptiſſimo per funem veſtigio ambulabat, tenſum utrinq; libratúmque duorum calonum manibus: & quaſi parum eſſet, ire aut repere, pendulum exinde corpuſculum tortuoſis flexibus enodans, ludebat in aere. Sed nequiſſimi ſervi, ſic ab ani-

cula edocti, rapido circulo in teretem cylindri velut umbram contorquentes pariter chordam, miſellam unà bipedem, & voce ſtridentem, rotabant. Hoc peracto officio, figitur ab iiſdem caculis humi tranſmiſſa per ultimum & decumanum catenæ annulum vara; quam ſimia ſponte ſua ſcandens, & petulantiſſimo flexu totum pererrans, omne pantomimorũ ingènium ſuperavit. *Diceres*, Apulei verbis, *Dei medici baculo, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere.* Ex ipſo demum pali faſtigio, quod ligneo meniſco intectum erat, catenæ coercendæ, ſannas ridiculo penitùs geſtu in ſpectatores explicuit. Nam dentes identidẽ denudans, turpiſſimo piſitantis oris ſtrepitu, & collo curvato ciconiam exprimebat: tum gemina manu albas imitata regis Midæ auriculas, ſtultiſſimè totum ſimul movebat caput: mox diducto rictu, tantum linguæ

ex

exſeruit, ut iterum videretur à Gallo Manlius, Romanúſq; exercitus irrideri. Placuit omnibus efficta ad veterem morē ſubſannatio: & cùm quiſq; experiretur, an tam lalcivos contumeliæ geſtus pitheciſmo poſſet ſequi, pænè in ſimias convivæ migrarunt. Sed *Comus* ipſe in hilaritatem ſolutus, callidam anum venire ad ſe juſſit, & pauca quædam præfatus, tanquam deliciæ etiam in ore deformato ſupereſſent, ſemel iterúmque eandem diſſuàviatus eſt. Illa tantō beata munere, jamq; peculiari omnium honore digna, inter primos accubuit: & quaſi unica voluptatis ſacerdos, *vivere* ſolenniter omnes juſſit, & *Amare*, Aderba deſpuens, Vah, inquit, quæ hæc larva eſt? Et auſa tamen publicè divinum hîc haurire oſculum? *Comus* ego non ſum: meum tamen non tam humiliter locem. Aſtabat verò proximè idē ille ſeniculus, cujus in primo ingreſſu Regiæ laciniā duxeram: ſed vino jam hilarior & effuſior,

fusior, qui ut tam festivum notavit Aderbæ sermonem, Cohibe, inquit, & parce: nam si contemni formam suam anus vel per somnium senserit, te invadet ultrò, & fœtulento basio conspuet. Hæc *Comi* olim nutrix, nunc mater & amica, nuptias quotidie novas copulat, in furtivos amplexus amantium jungit corpora, potens vel ipsum Jovem sine aureo imbre Danaæ conciliare. Denique, ut sciatis quàm strenua omnis amoris internuntia, omnis stupri sequestra sit, etiam nasum impendit. Aderba excipiens, Quasi formam, inquit, & venustatem dicas, vulneris indicium video: sed te oro lepidissime senex, ut si nondum in hac lepos ætate exaruit, glorioſum istud Veneris infortunium nobis enarres: fortiter egit, quę ne faciē quidem contemnere verita, ut Amori placeret. Ille blanda manu paulò nos à turba seducens, & fidem silentii exigens, lepida narratione bibulas utriusque aures demulsit.

Matrona

Matrona quædam, ait, in finibus Cimmeriorum agebat, daniſtæ non ignobilis uxor: ſi formam ſpectes, omnibus ſimulachris luculentior: ſi famam, pudica. Sed quàm multæ ſæpe maculæ in occulto latent! Caſtus ille primo nuptiarum flore animus, illicito mox & clandeſtino amore corruptus eſt, & in odium indulgentiſſimi mariti degeneravit. Vt paucis dicam præ daniſta miles placuit, quẽ lavantem in balneo matrona conſpexerat. Scitis quàm validè expugnare mores puer alatus ſoleat, & quibus armis inſtructus ſit. Mirari primum maritus, quid blandum conjugis ingenium, omnèmq; ridentis tori ſerenitatem exaſperaſſet. Tandem, quia nullis lubentiis triſtiſſimam laris nubem pellere potuit, quod res erat, ſuſpicatus eſt, ſpurio aliquo Cupidinis igne animum mulieris incenſum eſſe. Nam etſi vulnus illa ſuum ſtudioſè premeret, præſertim cúm primis adhuc flammulis ſerperet libido; tamen graſſante

graſſante jam incendio, interdum æſtuabat vehementiùs, & impedita interno cruciatu ſuſpiria lentiùs ducebat: vultus & oculorum hilaritatem, animi languor fregerat. Accedebant noctes inquietæ, ſermo interruptus, & ea omnia, quibus ſaucium amore pectus ſe prodit. Ad ſummam, voto venereo maritum mulier mutaverat, quaſi ſine adultero non victura. Anum igitur hanc ipſam, velut nobiliſſimam lenam, ſed vultu adhuc integram, accerſit: & tali interprete cupitū ſibi amaſium conciliat, formoſum planè juvenem, & quem in Latmio ſopitum, præ Endymione Luna voluiſſet oſculari, Omnibus hoc dolis, vires anu ſuggerente matrona agebat, ut impudico nexu corpus militi manciparet. Sed daniſta ſuſpitione plenus, omnia uxoris obſidebat veſtigia, ne liberos quidem languenti oculos relinquens. Diceres Jovis juvencam iterum ab Argo cuſtodiri Iatque bonum factum putavit, ſimulare

lare profectionem, & improviſo reditu explorare genialis tori fidem, morbúmque detegere. Abit ille diluculò, bonis avibus: neq; tam bellam occaſionẽ libidini perire mulier voluit: anum rogat, uti militem moneat: ſine periculo jam voluptatis poſſe ſcenam inſtrui. Condicitur vadimonium, ut poſt primam facem ad poſticulam domûs ſtrenuus ille amator veniret, ſine vicinorum arbitrio eà introductum iri. Interea, ne ſine ſubſidio Venus fatiſceret, pretioſi vini lagenulam matrona parat, & ſaliares aliquas lautitias, prorsùs opportunũ luxuriæ antecœniũ. Ancillam quoq; cautiſſimo conſilio, quam cuſtodem pudicitiæ pridem acceperat, in viciniam ablegat, ut novæ libertæ nuptiis ea nocte intereſſet. Jam ſerus ad occaſum Sol vergebat, jam, victo crepuſculo diei quoq; reliquias nox denſior ſepeliverat; & tenebrarum fide contectus, maturior ad poſticulam adulter properat, res mariti acturus

rus: cúmque occluſæ adhuc eſſent & taciturnæ fores, vocem quoque continuit, & paululùm à limite recedens, per angiportum cœpit ſpatiari. Redit verò eodem illo momento, qui apud amicum aliquem delituerat, maritus: & furtivo gradu incedens, velut ex inſidiis, nocturnum illum graſſatorem notavit. Ratus igitur hunc Veneris ſuæ Martem eſſe, cujus deſiderio mulier torqueretur, victúſque contumeliæ indignatione, clanculum irrepſit in larem; & furenti ſimilis, trucem vultum conjugi ex improviſo objecit. Quid illa? Mehercle tanquam ſpectro territa & fulmine icta obmutuit, ſic repentina mala involvunt animum, omnémque generoſi ſpiritus vigorem intercipiunt. Prorſus in malis facinoribus, ſi ſubito turbine conatus improbi conciliáque diſſipantur, pavor ſuccedit. Mens ſola cogitatione rea, quicquid meruit, temere incipit. Sed mariti quoque ſermonem ira cohibuit, &

qui

qui vindictam spirabat, ne loqui quidem potuit. Etenim mensula prope lectum, dapibus & nectarea Veneris promulside instructa, videbatur matronam accusare: & quia ancilla aberat, turpitudinis crescebat suspicio. Danista tamen, ut confitentem haberet mœcham, & securiùs sæviret, tum quidem crudelitatem cohibuit. Sed ne sine cruciatu nox esset, deidecori destinata, vestibus mulierem spoliat, & deductam in impluvium, ad columnam arctissime ligat. Quid videtur? nuda iterum in scopulo lugebat Andromeda, non virgo quidem, non casta; tamen si quid forma meretur,

—Non istis digna catenis,
Sed quibus inter se cupidi jnnguntur amantes:

digna profectò, quam novus aliquis Perseus & amet, & liberet, habeátq; suã. Danista igitur viduam tristémq; traducturus noctem, ad cubile se recipit, & perturbatã varia cogitatione mentem

mentem lenendam somnio committit. Interea qui suavissimum sibi Veneris nexum promiserat, castrensi more subDio ambulabat: cúmq; mutum dominæ limen, velut janũ clausum, frustra obsideret, ad anum, quæ domi suæ seminuda viridi adhuc libidine pervigilium & ipsa instruxerat (solet enim & hanc ab adulteris mercedem exigere) reversus est: &, Heus tu, inquit, mea Mamma, unicũ amoris coagulum, qua spe promissam à domina voluptatem emo? totam jam horam, sed quasi noctem, exspectando consumpsi otiosus: neq; tamen fores laxavit, quæ concubitum petiit: mirum ni sui oblita, amorem somno matrona sepeliverit. Tu abi quæso, & amantis explora imperium: si venire jubet, ecce ad præliandum paratus sum; sin abire conflictũ quoque differo. Nec mora: lodiculam humeris anus injicit, & prehensum manu juvenem ad posticulam postliminiò reducit. Clave igitur, quam pridem

pridem ac providè à matrona acceperat, peſſulis ſubjecta, pandit aditū, ac juſſo præ foribus hęrere pauliſper milite, introivit. Per lignile, hortulū, pergulámq; rectà in impluvium, & domū via erat: hâc dum celerē anus greſſum dirigit, propemodum in vivam illam vinctámq; albicantis mulieris ſtatuam delata eſt. quam ut vidit, quaſi quodam viſu in horrorem perducta, ſubſiſtit. Niveū lacteúmq; corporis decus propemodū tenebras vicerat, nec latere matronam ſinebat. Anus, neglecto triſtiſſimo novercantis Fortunæ ſpectaculo, militis mandata explicuit, ne tum quidem audienti ingrata. Nam in ipſis vinculis amores ſuos matrona ſuſpirās, nec minùs callida, quàm pulchra, intellexit totam à ſe voluptatem nondū fugiſſe. Itaq; blandis anum verbis mulcens, & obteſtans, Ferre, inquit, hanc ęrumnam poſſum, mea mater, ſi tu voles; imò felix eſſe, ſi dignā me mariti ira reddideris. Fac igitur ut complectar ſaltem

saltem, quem amo: ne frustra venerit, qui formam meam non sprevit. Benigna manu modos mihi istos expedi, & brevem duntaxat libertatis usuram amanti concede; ut hæc vincula merear. Quid verbis opus est? soluta ocyùs matrona persuadere eadem calliditate aniculæ conatur, ut ligari in vicem ipsa vellet, & spithama tẽporis nuda ad calumnam stare: brevem se tantùm poscere, dum militẽ adear, & celeri voluptatis gaudio fruitur: nullum à marito periculum esse, profunda jam soporis caligine submerso. Addit promissa, quibus etiam obstinati solent animi expugnari. Nec tardo obsequio morem anus gerens rejecta in matronam lodicula, nuda, sed sine ullo pudoris damno vinculis membra subjecit. Lepidum mehercle & dignum theatro spectaculum: transit in adulteri complexus fœmina, à marito propemodum deprehensa: & jam primum quasi voluptatis gustum suavi silentio militi

militi extorſerat, cùm ille veſte viliſſima & pannoſa deceptus, etiam putaret ab anu vires ſuas urgeri. Sed creſcente paullatim Veneris petulantia, non potuit diuturnior error tam eximiam præſentis formæ dignitatẽ abſcondere. Jam quoq; loqui mulier cœperat, & vocis indicio miles intellexit cupitam amoris prędam ſe manibus tenere. Sic illi æmulâ libidine perpruriſcentes, ſuaviter Amori litabant. Dum hæc geruntur, daniſtæ malè ſoporato, diras & iufauſtas imagines nox obtulit. An dicoꝰ videre ſibi ille viſus laris ſui, thalamíque æternum probrum: ruptis uxorem vinculis, & calcato pudore cum armato adultero miſceri: ſe, cùm vindicare contumeliã vellet, in Satyrũ eſſe transformatum. Itaque turpiſſimo portento excitatus, & jam acerbitatem inſtaurans animi, quam ante ſomnum conceperat, primùm tentare nares cœpit, an curvæ & aduncæ eſſent; frontem, an cornibus

bus aſpera: infima corporis, an caprarum more horrerent, & extremis in pedibus confuſo numero, toti digiti in bifidas ungulas coacti obriguiſſent. E ſtrato deinde exſiliens, feneſtram petiit, & de clathris, velut reliqui ſomnii explorans fidem, uxorem compellat. Sed bona anus diſcrimen ſuum jam ſerò intelligens, atque ſub ipſis tremens vinculis tutiſſimum putavit non loqui. Compellat ille iterum imò increpat: cumque pertinaci ſilentio munire ſtultiſſimum peccatum ſuum vetula conatur, clamantis rabiem accendit. Quàm facilis concitati furoris ſtimulus eſt! tanquam ab ipſo conjugii genio daniſta admonitus, factum eſſe credidit quicquid ſomniarat. Itaque novaculam è proxima aliqua menſa rapiens, cæco per cochleam impetu in impluvium ruit, ad columnam devolat, & uxorem ratus, quã vincula coërcebant, facinus committit perenni annalium memoria dignum.

Læva

Læva faciem aniculæ pertentans naſumque apprehendens, orbiculum & pinnulas acutiſſimo ferro præcîdit. In vultum deinde, tam turpiter mutilatum, projecta quæ digitos ſequebatur cartilagine. O peſſima, inquit, neque iſto tantùm dedecore digna mulier, xeniolum cape, quod amaſio tuo dones, & ſcitula hac jam forma adulteris place, ut amores mereare. Hæc locutus, cùm egregiè ſcilicet uxorem mulctaſſet, raptim ad cubile rediit, & quietem denuò in perturbato toro quæſivit. Sed de anu quid dicam? Illa verò, cùm majus etiam diſcrimen metuerent, ſi noſceretur, Spartana indole & vulnus excepit, & dolorem tacita ſuſtinuit: quaſi ferrum pati poſſet, quæ vincula non recuſarat. Hæc triſtia, & Amoris felle amara: lætiora, & mel merum matrona carpebat: quæ dimiſſo demum milite ſuo, ad impluvium reverſa eſt, expertura quid deinceps Fortuna ſtatueret. Sed poſt-

quam

quam tam ſævam intellexit aniculæ ſortem, fudit lachrymas, & recentem voluptatem novo dolore nubilavit. Verbis deinde ad conſolationem compoſitis, rogare anum cœpit, bonum haberet animum: pulcherrimæ conſtantiæ inclytũ hoc exemplũ apud omnes Cimmerios fore: nam ut Diis quibuſdam voveri crines ſolent, ſic & Veneri reſectam hanc oris venuſtatem placituram: quin eam jam numinis religionẽ eſſe, ut myſtę ipſi gemmata facie, patuliſq; naribus Priapi arcana commendent. Militis gloriam adverſis & horrentibus vultu cicatricibus oſtendi: ſed eodẽ robore libidinis ſtipendia inclareſcere. Addidit, tegi tamen haud magni vulneris hiatum errhino poſſe, aut etiam, ſi conſtituiſſet ſine naſo non vivere, ſe paratã, è puriſſimo metallo defectum oris ſupplere. Extrema hac pollicitatione non parum anicula delinita (quæ aures etiam auro venderet & oculos,) cùm vinculis iterũ volentem

volentem matronã ſubjeciſſet, recepit lodiculam, & ſuſtulit humo naſi ſui fruſtulum, perque poſticulam properè faceſſens, vulnus curatum ivit. Sed nunc porrò lepidam fabulæ cataſtrophen cognoſcite. Non diu ad columnam impudiciſſima matrona ſtetit, & caſta videri voluit: ludi maritum poſſe, qui falſus fuerat. Itaque è triſti aniculæ infortunio ingenium colligens, audaciam è turpi & recenti facinore, tali aſtu & iram & ſuſpicionem Vulcani ſui aggreſſa eſt. Ex humili ſuſurro in aperta paulatim vota ſermonem tollens, flebili voce non jam dormientis implevit aures animúmque lancinavit:

Regina noctis, nda lampas ſiderum,
Pictíque mater atheris,
Seu Juno vis Lucina dici, ſeu Jovis
Conjux tonantis & ſoror:
Cur vota nuper ſoſpita ſolvi face,
Et nuptiali flammeo;
Matrona quæ vocaris, & Gamelia,
Caſtíque numen inguinis:

Tantum

Tantum vides miserrimi nefas lari,
Lætisque luces cornibus!
Et vos micantes calo ocelli, lucidæ
Faces, & innocentiæ
Testes meæ; diræq; sortis arbitræ,
Horrore non pallescitis!
En nuda, vincta, secta, non meum luo
Crimen; torum nec pollui:
Et immerentem perdit ira numinum!
Quid ergò sanctitas juvat?
Effugit omnis & venustas & lepos?
O Dî Deæque larva sum!
Effugit omnis umbra nominis boni:
O Dî Deæque nulla sum!
Non casta jam, quæ casta, diro barbari,
Furore læsa conjugis.
Pudica mente, mœcha vultu, criminis
Probrum nefandi mentiar,
Summœniani pars pudenda fornicis
Nec uxor unius viri.
Quid mœsta vivo? & integram quid horrida
Imago mentem continet?
Mori juvat: peribo casta, vivere
Si pulchra vitam non queam.

Mori

Mori juvat: manu cruenta masculam
Quæro necem. Sed occidi.
Non posse, cùm velis, mori, id verò
est mori:
Plus vinculis vir sæviit.
Beata ferro nobili Lucretia,
Testata conscientiam,
Quæ spiritum sui in sinum fudit viri,
Pudica, quòd potuit mori.
Sed dura me si fata vitæ mancipant,
Et impio tori jugo;
O Hera redde pristinum formæ decus,
Et dignitatem narium!
O Hera redde pristinum famæ decus,
Quæ fœdo hiatu mergitur!
Tu sordidam tot pellicum turbã Iovis,
Es ulta sceptro vindice,
Et templa labe vindicasti cælica,
Summo severa adultero:
Ne lachrymas cruore turpes despice,
Queis uvidæ madent genæ:
Sed suspicacis plecte culpam conjugis,
Trucèmque ferri insaniam,
O vindicem potentis iram numinis
Crudelis ille sentiat!

O redde quod furentis abstulit manus,
Manus mariti carnifex,
In comparem sævire tristi vulnere
Ausi suam, in larem, in fidem;
Ausi tuum calcare numen ô Dea,
Et numinis præsentiam!

Cùm hos versos molli planctu eliquasset, longi orem sermonem confuso murmere involvit; ut videretur etiam familiariùs numen alloqui. Rursus majore spiritu verba stimulans, in ipsum jam maritum orationis impetum direxit: &, Heus tu, inquit, crudelissime mortalium, inquè castissimam conjugem tuam frustra crudelis; periisti. Vincere Cælitum benignitas sævitiam tuam potuit, ne innocentiæ meæ fama laboraret.

Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus audit q; & videt.

Sed ipsa mihi Juno (sentio, sentio) formam restituit; quam tu, nefanda supitione ebrius mutilaras. In te cruentum stringe ferrum, in tua nunc viscera

viſcera furorem exonera; ne conjuge fruaris, qua indignus es. Superis placui: ſpernere mortalem, ſpernere impium poſſum. Ergò ô noctem mihi omni deinceps die clariorem! reſtituta ſum: ô numerandam candido æternæ lætitiæ ſigno! renata ſum. Vos pergite officioſæ lachrymæ, & alio nunc affectu fluite: madere gaudii rivis debet facies, poſtquam majori numinū beneficio dignitatē ſuam invenit. Sed te compello denuò, audaciſſime & lictor, & latro; adſis, & ſcelus tuum noſce; adſis & minantis Deæ iram, ſi fas eſt, celeri piaculo averte. Daniſta tam inopinato orationis turbine confuſus, quodam velut mari cogitationem æſtuabat, dubio aſſenſu inſolentis rei fidem ventilans. Ac primo quidem nocturnæ imaginis impoſturam ratus, quæ illuderet; faciliúſque ſomniari naturæ portenta, quàm fieri, conſulere oculos cœpit, an vera nebula premerentur. Sed ubi

liberam, & extra fallentis umbræ vincula mentem deprehendit, nec à diris adhuc mulier abſtineret, omnis illa ferocia vehementi pavore fracta eſt, & adulterii ſuſpicio ſubſedit. Exſurgens igitur è lectulo, lucernam accendit, viventis flammulæ arbitrio novum pudicitiæ teſtimonium commiſſurus. Nec mora, abit, ad uxorem venit, quàm ubi vinctam videt, novo æſtu corripitur. Faciem deinde lumine explorat; ſed plenam, & ſine ullo vulneris veſtigio lætam: igitur ſtupore defixus, deteſtari ſcelus ſuum, & perhorreſcere numinis jam vindictam cœpit. Mox in ſolum, ſanguinis imbutum ſtillis, procumbens, & promanantibus lachrymis maculas cruoris diluens, manifeſtum adoravit miraculum. Poſtremò eadem religione impii deprecatus furoris ſui facinus, caſtiſſimam ſolvit uxorem, & velut inſigne pudicitiæ exemplum ad thalamum reduxit. Sic

&

& nares, & ſimul mariti affectum matrona recuperavit. Anus verò, corrupta nummulis aliquot, ut tutiſſima fide lateret muliebre ſcelus, collectis ſarcinulis, ad *Comi* Regiam migravit. Hîc nunc habitat, & ſtrenuè ſolitam locans operam, callidiſſimas Veneris ſcenas quotidie inſtruit. Si uxor cujuſquam, ſi amica placet; ſi virgo, ſi vidua, interpres parata eſt: plenam Amoris voluptatem hac duce invenias. In his tenebris ſcitote & daniſtas, & ſimul milites eſſe.

Dixerat ſeniculus & læto riſu fabulam claudens, in mediam turbam receſſit. Nos ergò cauta celeritate ad locum, unde veneramus, delati dormiſcentem non procul à limine Tabutium repperimus: qui ut gravibus & morſicantibus oculis venientes excepit, Pluſculum, inquit, *Comi* vos inſania tenuit: & an jam ſaturos? At me interea moleſtiſſimus ſomnus propemodum oppreſſerat,

novo nunc ſermone excutiendus. Deinde de *Ebrietate* cœperam, totoque ſtultitiæ illo regno: & fortaſſis jam vidiſtis. Sed qui bonus non faſtidiat? Hoc in omni ſympoſio agitur, ut mentem pellant, quicumque ſedent; ne pedes inveniant, cùm eundum eſt. Tolli & bajulari debes: aut titubantẽ certè gradum à menſa niſi referas, parum lautè aut amicè videaris acceptus. Quid etiam, niſi adferas? Nam quibuſdam hoc inſitum, à ſtella matutina potare, qui diem (ſi tamen hîc dies ullus) & Ebrietatem pari auſpicio ordiuntur. A ſomno & crapula ſitis redit, nec prandiũ exſpectat. Fervet vino ſtomachus, cum cibum neſcit; ut capturus digerat. Sed morbum hunc Romanum quoque fuiſſe Sapiens Romanus indicat: *Iſti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii tranſeunt? Atqui frequens adoleſcentium vitium*

vitium eſt, qui vires excolunt; ut ſudorem, quem moverunt potionibus crebris ac ferventibus ſubinde diſtringant. Poſt prandium, aut cœnam bibere, vulgare eſt; hoc patres familiæ ruſtici faciunt, & veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod innatat cibo; quod libere penetrat ad nervos: illa ebrietas juvat, quæ in vacuũ venit. Imò illa ebrietas juvat, quæ continua eſt; quæ diei noctiſque omne diſcrimen neſcit. Sed non ſoli Cimmerii, Cimmerii ſunt: Ebrietatis coloniam in noſtrum quoque orbem *Comus* duxit. Lychnobii ſumus, diem ſpernimus, & tanquam ſuavius lucis uſura in tenebris frui, noctes omnes conviis occupamus. Juvat

---Craſſos tranſire dies, lucemq; paluſtrem.

Vile Naturæ beneficium eſt: facere, quàm habere diem malumus; prę Sole faces æſtimamus Sed quid fit? nocte fruimur, ut diem perdamus: & cũ ſomni tempora vigiliis deſtinantur,

diurnæ omnes horæ ſomno pereunt. Lubet Stoici verbis perverſitatem hanc compungere: *Sunt qui officia lucis noctiſq; pervertunt; nec ante deducunt oculos heſterna graves crapula, quàm appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura) ut ait Virgilius) pedibus noſtris ſubditos è contrario poſuit.*

Nox ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina veſper:

talis horum contraria omnibus non regio, ſed vita eſt. Sunt quidem in eadem urbe Antipodes, qui ut M. Cato ait, nec orientem unquã ſolem viderunt, nec occidentem. *Hos tu exiſtimas ſcire quemadmodum vivendum ſit, qui neſciunt quando? Et hi mortem timent, in quam ſe vivi condiderunt; tam infauſti ominis, quàm nocturnæ aves ſunt. Licet in vino unguentoq; tenebras ſuas exigant, licet epulis, & in multa quidem ferculà diſtinctis totum perverſæ

verſæ vigiliæ tempus deducant: non convivantur, ſed juſta ſibi faciunt. Verè, verè, ſomnum enim cùm fugiunt, quadam, velut morte ſe induunt, & vino ſepeliuntur. De *Phageſipoſiis* loquamur, an non adumbrata hæc funeris quædam imago: Hominem ceu merſum cadaver videre eſt; tot poculorum ciborúmq; congeriem, velut pyram; lectulum, tanquam ſepulchrum. Jam tedæ accenſæ, & acclamantium voces, quid niſi vixiſſe hominem indicant? Ita, vixiſſe; ſed ut reſurgat, pari quotidie fato perituras. Ex quo fato? audite (ebrioſum ego Philoſophum faciam;) quo, inquam, fato? Pythagorico: quia ab homine in brutum, & tamen citra μετεμψύχωσιν, ſive παλιγγενεσίαν migrat: imò Stoico, Stoico inquam. nam αὐτόχειρ eſt, & Rationem ipſa vita meliorem ſuffocat ſua manu, aut jugulat: tanto etiã in ſe ipſe crudelior, quia ſæpius moritur: quia quod ſemel Natura facit, quotidie, imò continùo ipſe. Jam

verò renaſci in convivio, viréſq; colligere, pulchrum: & cùm in vita viſcera ciborum onus recuſant, fit, quod dictu quoque fœdum eſt. Itur, reditur: qui adverſi ſedent, viam per ipſam menſam aperiunt, projecturi cœnam, ut priùs calcent. Alius corporis obſcœnos meatus exonerat: alius ſanctiſſimam partem, quâ admiſerat cibos regerendo obſcœnam facit, reddit quicquid ſumpſerat. atq; utinã in cloacam ſaltem! nunc limina conſpurcantur, ipſum triclinium, imò tori & menſæ maximum voluptatis incrementum eſt in eodem convivio ſæpiùs cœnare. *Vomunt ut edant, edunt ut vomant; & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Sed tamen ingenio quodam honeſtatem Ebrietas mentitur: modum venter invenit, quo bibere & mejere in eadem menſa liceat turpitudine celata. Inguinibus jam matella adhæret; & ſcortea (an ſcrotea dicam?) caligis inſuta bulga, inſerta

ſpongia

ſpongia lotium excipit nimirum aſſiduum eſſe, pulchrum eſt; & cujus veſica cœnæ unius vinum capit, palmam habet. Fœdum mehercle; reddere menſæ obſcœna, ne ſurgas: niſi fœdius, quòd non ſurrexiſſe honeſtũ putetur. Sed nequid ſtultitiæ deſit, ἀκρόστιχοι etiam ſumus; croco, aut braſſica, aut Æthiopica amethyſto adverſus ebrietatem munimur: & hîc ingenio victoria quæritur. Ille ſtrenuus, titulis, encomio, corona dignus, qui vino victos ac proſtratos compotores cernit, quamvis ſaucius, atq; mox caſurus. O homines! an ſpongias dicam? Sed quæ gloria eſt capere multum, meróque vincere? Dic tu Annæe. *Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſaverint, cùm ſuperſtes toti convivio fueris, cùm omnes victi virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit; vinceris à dolio.* Et quis fructus obſecro hujus palæſtræ? Pulcherrimè idem ille deſcribit. *Inde*

pallor

pallor & membrorum vino madentiũ tremor, et miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio: inde in totam cutẽ humor admissus, distentusq; venter, diũ malè assuescit plus capere quàm poterat; inde effusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesq; in se putrescentium, & retorti digiti articulis, obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum, auriumq; tormenta, & cerebri æstuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu sævientium, aliarum tenui pestè repentinum, aliarum cum horrore & multa membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Etenim, si Medicorum lubet decreta sequi, dixeris fæculentas omnes corruptæ

ruptæ valetudinis nebulas ab intemperantiæ palude exhalare. Frangunt pars magna hominum quęsita voluptate vires corporis, ut ante annos extremi senii mala bajulent. Cesset ebrietas, & felicior vita cujusq; erit; tardior jam prementis lethi necessitas. Dî boni, quàm acriter læsa injuriam Natura plectet! vix violare voluptatis vitio corpus miseri mortales incipiunt, & pœnis urgentur, ut præmia scias nocituris illecebris peccât. Possis insano ebriosorum vitio obhoc unum ignoscere, quæ fecêre, patiuntur: ipsa in tormentum vinolentia vertitur. Sic quisque sibi tortor datur: supplicia, ægritudines sunt; graviſſimæ autem, cúm vitæ cursum non incîdunt. Trahuntur dolores, ut crescant; trahitur vita, ut diutius moriaris. Languor ætatem occupat, & ad metam non nisi per acerbos cruciatus itur. Quid plura? ut detestari Ebrietatem possitis, Ebrium aliquem inspicite, hominem etiam infra pecudum

dum vilitatem abjectum. Non potuit vehementiori Natura exemplo turpissimis moribus pudorem incutere. Nam ut accuratè Lucretius,

---cùm vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor;
Consequitur gravitas membrorum, prapediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.

Sed hæ quotidie quæruntur pœnæ, ut tandem adhæreant, & contiuæ sint; ut nunquam non miser, qui vivere nollet quàm non madere; qui post naufragiũ in ærumnarum pelago natat. Bibite, & pergræcamini Cimmerii, ebrietatẽ stupor, dolor, imbecillitas, morbus, & mors ipsa comitantur.

Cùm hîc sententiæ periodum silentio clausisset Tabutius, palliúmq; dictionis motu profusum attraheret, lepidissimo sanè spectaculo commovemur.

vemur. Stigmolius quidan, ex ipso illo stertentium numero, ebria siti ardens, in pedes exsiluit, cirniámque è sinu juxtà marcentis rapuit; cúmque liberali nimbo aridam gutturis viam proluisset, redeunte somni nebulâ, sublimiorem sellam occupavit, congerrones velut dormiendo despecturus. Jam conniverat iterũ, & suspensum dextera caput suffulserat, quæ & ipsa vacillantes antrorsum nutus sequebatur. Mox urgente sopore, cum trunci incurvi onere misellus ille, suíq; oblitus, traheretur; de sella prolapsus est, pronúmque caput in lagenam vini illisit: putares non somno, sed siti denuò impulsum. Frangitur testa, & in fronte ruentis altum relinquens vulnus, circumjacentes sparso liquore madefecit. Repentino strepitu & alluvione pars ebriorum excitata, sodalem attollunt, sanguinem sistunt, atq; mox, plaga sudariolis obligata, abducunt. Aderba deinde ad Tabutium conversus, Condimentum,

mentum, inquit, sermonis habuimus, risu, an commiseratione dignum? Sed tu jam in viam redi, &, quia Ebrietatis tædet, de *Multitudine* adjunge. Hanc enim secundo loco, quantum memini, aversatus es.

Omninò, ait Tabutius convivium enim ut quis convivium faciat, paucos convocabit. At jam pleriq; à frequentia gloriam quærunt, nec epulũ celent, nisi in quo plures. Quis Gratiarum, aut Musarum colit numerum? Sprevimus, ex unà omnem honesti sermonis voluptatem, certè in turba non reperiendam, Triclinium, forum, imò mare est, in quo linguæ, velut æstu concitatæ undæ, & πολυφλοίσβοιο θαλάσσης obstrepera imago. Vini regna vilitate infamentur ac vapulent, longo nisi ordine convivæ sedeant: & in *Phagesipositis* quidem, nisi dextera totóque corpore numerentur, solitudo sit. Sic demum lauti sumus, uti videamur. Omnis luxuriæ pompa spectatores ambit, monstrari

ac

ac laudari à quamplurimis. Sapientiæ vox est: *Nemo oculis suis lautus est, ne paucorũ quidem & familiariũ; sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit.* Itaq; Regiam *Comus* farcit, quisq; ventrẽ. fervẽt omnia, miscentur omnia: totũ cœnaculum velut una mensa, cincta convivis, obsessa ferculis, irrigua poculis, cùm epulas intuearis, deesse putes qui absumãt; cùm epulones, quod absumant. Unde frenum aut fibula huic luxui? Non victu jam cultúque, sed ut fortunæ sciantur, sũptu superbimus. Quærimus stulti, etiam quod ultra voluptatem delectet. *Divitem*, ut apud Ciceronem est, Crassus dicere solebat, *qui exercitum alere posset suis fructibus*: nos dicamus, *qui cõviviũ instruere suis fortunis.* Fœdissimũ hunc splendorem etiam cum exitio quisq; patrimonii affectat: pallescit curis miser, & tota calliditate rem constipat, recti æquiq; immemor, ut & ipse ad exemplum lasciviæ se componat

componat, mores ævi & urbis suæ referat, & inter Apicios habeatur. Ego abstineo, sed cum paucis, & convivium amo, in quo pauca, facilia, inempta, imò in quo, ut concludam, pauci.

Tertium vitium *Imparilitas*, & ea ferè in multitudine, cum diversi ingenii, fortunę, sexûs, ætatis, dignitatis convocantur, Epicuri sententiam inculco: *Ante circumspiciendum est cum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas.* Jam verò sedet rudis cum docto, dives cum egeno, vir cum femina, senex cum puero, nobilis aut patricius cum plebejo. Ut aquam igni sine stridore non misceas: sic nec istos sine garrulitatis pugna. Jus dicendi etiam viliſſimus sumit, & pulsa verecundia, petulantium verborum scaturiginem evomit. Parùm loqui, obloqui in proclivi est, & soluta quędam oris libertas convivas meos collidit. Meliores illi, quia eminere sueti, hic quoque sermonis fasces sumunt, & imperio in convivii vulgum

utuntur

utuntur. At iſte Tribunos ſuos invenit, & in Senatum ſurgit: deſpici, aut negligi, ubi libertas, vulnus putat. Verborum, & poculorum hæc ſeditio eſt, & utriſque ſedatur. Ego bonum & prudentem cenſeo, qui vel irritatus ſilet, nec in levi aliqua offenſa reſponſum ad vindictam acuit: ſed meliorem prudentioremque, qui hujuſmodi conviviis abſtinet. Conviviis inquam, in quibus loqui vitium, tacere neceſſitas; id eſt, ſi cum *Ebrioſis*, *Multis*, *Inæqualibus*: breviter, ſi cum non Amicis epuleris. Amici enim enim pares ſunt, pauci ſunt, & virtute ac ſobrietate juncti. Itaq; inter tales Hilaritas ſe exſerat, atque etiam vocalis. Etenim ut aquę amœniores, quæ cum murmure fluunt; ſed leni, facili, temperato: ſic epulæ quæ ſermonem habent; ſed *Honeſtum*, *Lepidum*, *Tempeſtivum*: quæ tres orationis virtutes ſunt, à totidem Gratiis profectæ.

Honeſtus ſermo erit, qui ſine læſione

sione, & cui verecundia modum præscripsit atque legem. Læsio Dicacitatem, & Adulationem habet, sive in eos qui adsunt, sive qui non adsunt. Dicacitas, ut Quinctiliani verba sequar, *est sermo cum risu incessens*, & cum morsu pungens ad scenam, aut plaustrum relegandus. Adulatio fucum & fraudem verborum habet, & dicacitate pejor est. Iam verò Verecundia gemino quoque vitio inimica, Rusticitatem & Obscœnitatem excludit. Procul habendæ istæ maculæ, istæ offuciæ omnis hilaritatis; quæ sive verbis nudæ, sive imaginibus nuptæ, tamẽ maculæ, tamen offuciæ sunt. Exprimas, an adumbres vitium, indicas: nisi levius honestiúsque, per obscœnitatis velut delicias peccare. *Ea quæ dicit vir bonus* (cum eodem dicam) *omnia salvâ dignitate & verecundiâ decent. Nimium enim risus pretium est, si cum probitatis impendio constat.* Adjungo: *Obscœnitas verò non à verbis tantùm*

tantùm abeſſe debet, ſed etiam à ſignificatione. Creta, an carbone litteras formes, ſcriptio eſt: quibuſcunque verbis laſcivum includas ſenſum, turpitudo eſt: rem, velut radicem habet. Hanc exſcinde, & omnem luxuriantis malitiæ ſuccum extinxeris. At jam ſermonis ſcilicet venus ipſa Venus eſt; fœda oris proluvies, pro hilaritate. De Aurelia aut Lollia *Comus* loquitur, & pari obſcœnitate κυλίκια ζητήματα conſpurcat: Διὰ τί τὸ ἀφροδισιάζειν ἥδιον? virgo, an vidua magis pruriat? Veſper, an Aurora ſuaviorem Veneris nexũ faciat? Ubi pudor? ubi color? Peſtilentes auræ, iſtæ voces, & honeſtæ quemq; mentis meritò vulnerent. Ut jejunus & gravis odore ſpiritus offendit: ita ſermo ſpurcitiæ illo veneno infectus. Sed quomodo depurgandus? Sobrietate qui in poteſtate vini, etiam libidinis, cùm venter mero effervescit, & ilia inguináque æſtuant; facilè in obſcœnitatem lingua ebullit.

ebullit. Nequis tamen rigorem accuſet, & collectas è porticu rugas; Lepidos Convivas facio, & ejuſmodi Sermonem.

Lepidus autẽ ſermo erit, ſi delectet mulceátque. An apertiùs? Floſculi ſpargendi & ſales, & quicquid expugnare torvæ ſeveritatis vitium poſſit. Veris typum Covivium refert, & ad Liberi, velut Zephiri leniter ſpirantem auram honeſti mores rident. Jocus, Gratiæ, Muſæ hîc habitant, ſed in nullam laſciviam ſolutæ: imò Sapientia hìc habitat, ſed nulla caperantis triſtitiæ torvitate deformis. Nimirum mel & nectar ſuum animus quoque habet, & divina illa rerum virtutumque Magiſtra, voluptatis interdum poculum propinat. Hoc ipſum apud A. Gellium Varro docet, *Sermones habendos* in convivio *non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis, ſed jucundos atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles: ex quibus ingenium noſtrum*

noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Quod profectò evenit, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atq; in negotiis agendis loqui non eſt otium. Sanè quæcumque honeſtè fiunt, jucundè quoque explicentur: & ut concludam, in ipſa menſa erudire honeſtū eſt, eruditi jucundum; ſed ſi *Tempeſtivum.*

Talem igitur inprimis ſermonem volo, & ex occaſione velut opportuno ſemine, enaſci. Omninò; ne aut præreptus, aut intruſus, aut, quod utroque turpius affectatus videatur. Atque hactenus à re & argumento ipſo præcepta ſunt. Paria, ab arte & dicendi quadam forma. An & perſequor? Stilo nuper conatus ſum; &, ſi non negatis, recitabo potiùs quàm dicam. Prono vultu animóque cùm annueremus, pugillares, & unà ambuſtas quaſdam ſchedas, non tam è ſinu, quàm è Sibyllæ foculo protraxit. Pars Dialogi erat,

in

in quo, ut quadratis nomina litteris eminebant, *Erulpio* & *Dranſes* loquebantur. Sciſcitanti igitur Aderbæ, Quinam illi, qui ſermocinationis majeſtatem ſuſtinerent? Eupanti, reſpondit Tabutius, ſodales ſunt, Elegantiæ ac Deliciæ meræ; quibus an quid ſuavius amœniuſq; Natura produxerit jure dubites. Ego hic applaudens, Veræ, veræ, inquam, iſtæ laudes: habet uterque (liberè dicam) quicquid mereri invidiam poſſit, imò quicquid vincere. Sed hoc tu mihi nunc explica Tabuti, Quæ ſchedæ? à qua flammæ injuria papyri hæc fuligo? Ille ſerena voce, Majoris inquit operis reliquiæ ſunt, quas ab incendio mitis caſus ſervavit. Pergulam, & quod in fundo Apollineo Muſeum ſtruxeram, an vidiſti? Vidi inquam, *Sacco* noſtro, optimo doctiſſimóque virorum ducente: qui & in varia porticu *Herculem* illum *Muſarum*, artifice manu expreſſum, oſtendit novámq; amœniſſima

ac deterere pulchrum eſt: tanta ſtultitia contemnere audent opes, qui jactant; qui gerere, quàm poſſidere malunt. Sic omne in ornatu patrimonium eſt: corporis fines, etiam cenſus. Hoc tam ſuperbo compendio pleríque divites, pleriq; prætextati, purpurati, auro gemmiſque lucidi: quorum in genere & lare nox eſt, ſæpe turpitudo, & ſcelus. Qui ditiores, toto orbe luxum colligunt, à Phrygibus, Æthiopibus, Indis amictum petunt; relucere in tenebris geſtiunt. O perverſitatem! Etiam qui animo libertatē ſpirant, corpus exoticis deliciis induunt vinciuntque, & quid niſi in contumeliam Naturæ? Hæc cùm cetera animantia variè veſtierit, teſtis, corio, ſpinis, villis, ſetis, pilis, pluma, ſquamis, velleribus; truncos etiam arboreſque cortice: *hominem tantùm nudum, & in nudâ humo* (Plinii verba ſunt) *abjecit ad vagitum ſtatim & ploratum.* Sed pleriq; ita jam veſtiuntur, ut, quicquid

Natura negarit assumant, non defendendo corpori, sed emolliendo. Neque ego Nitorem sperno, Lasciviam sperno. *Munda vestis electio*, ait Philosophus Romanus, *appetenda est homini: naturâ enim homo mundum & elegans animal est*. Sed eò ventum: ut munditiem solâ pompâ æstimemus: vestis non vestis sit, nisi pretiosa.

Plura quidem parabat Tabutius,

Cùm domus interior gemitu miseroq́ tumultu
Miscetur, penitusq́ cavæ plangoribus ædes
Fæmineis ululant.

Excitati qui circùm jacebant nondũ penitùs profligato somno, in cœnaculum ruêrunt. Sed Tabutius non sine risu: Hæc solennis *Phagesipossorum* catastrophe. Vos ite, videte; ego quietem meam novo spectaculo non solvo. Dum surgimus, imúsque; puer ecce Hylæi cæco in cubiculum impetu defertur, vix præ timore spiritum ducens, quẽ ut adspexi,

Quid

Quid tremis, & fugis inquam, Drapetisce; & cur sine hero; At ille, Herum, inquit, furor detinet: ego certè periisse me scio, nisi fugiam.

Spes atque opes vitæ meæ jacent sepultæ in pectore.

Dic ergò, inquam: an tu nescis? noster Hylæus est; siquid commeruisti, & acerbiori subducis scuticæ mollem cuticulam, oratores erimus noxiámque deprecabimur. Hanc vos operam, puer ait, alibi locate: insons ego; nisi tamen hoc pecco, quòd ad salutem præeam. Herus stultissimo facinore prœlium orsus est, & nunc intus armorum jure nuperam à rivali acceptam injuriam vindicans, validum in se potantiũ agmen concitavit. Quanta, bone Deus, in bona ætate amentia est! Poterat festivissimis Circes amoribus contentus esse si saperet; & perfidæ Myrtillæ oblivisci. Nunc invitâ Venere, negatos suscitat ignes, & vi cruenta Cupidinem ipsum violat. Sed & à me occasio

aliqua, qui adeſſe Chæreſtratũ nunciavi? Ita eſt: herum mihi dum conciliari importuno officio ſtudui, in diſcrimen conjeci. Nunc demum intelligo prudentia opus eſſe, ut dicenda, & tacenda ſcias. Tabutius poſt hæc verba manum puero injecit, rogavitque, diſtinctiùs rem totam, & originem aperiret. Nec difficilis ille, etſi fugere porrò geſtiebat: ſic garrire & deblaterare genus iſtud hominũ amat; ſi nihil occurrit, mentiri ſervus mavult, quàm herum non traducere. Reſpirans igitur, & impeditum adhuc metu ſermonem explicans, ſic infit.

Chæreſtratus, opulentus, & generoſi animi juvenis, litterarum armorúmque ſtudio non mediocriter excultus, nobilẽ in municipio noſtro, & ſcitiſſimæ venuſtatis virginem efflictim deperibat. Sed hæc alio calens igne, impatientẽ affectum in herum meum pridem transfuderat, leviter redamantẽ. In cupidinis regno iſta obve-

obveniunt; nec una omnibus forma placet. Eſt qui fugientem ſequitur, eſt qui ſequentem fugit. Vos expendite: amare ego nondū didici. Chæreſtratus, quod unicum incendii erat ſolatium, durum quotidie limen terebat: & triſtiſſimus ille dies, quo Myrtillam ſuā (hoc virgini nomen) non vidiſſet. Non ille tamen oſtium noctu extincta cum face occentare, ſumptus facere; patrimonii vires rumore ſiniſtro frangere & reliqua omnia quæ calentibus annis divitiæ dictant: ſtrepitum vitans, uno animo infeliciſſimus erat. Movit triſtis hæc Amoris ſcena Pancutum neſcio quem, mitiſſimæ ſeveritatis virum: is, ut ex ærumnarum barathro pereuntem extraheret, blandis pellexit litteris; & rus evocaverit, ardentibus fomentum flammis quæſita amœnitate ſubducturus. Interea domeſtico jurgio virginis animus à matre exulceratur (ſub hujus enim cuſtodia poſt obitum patris Myr-

tilla vivebat;) cúmque acerbiorem verborum contumeliam conoquere non posset, postituere verecundiam decrevit, & clandestina fuga in potestatem Hylæi sui transire. Dominæ temeritatem callidissimo sermone Circe ancilla promovebat, venusti adhuc floris sed maturæ versutiæ puella. Hæc die quodam, cùm manè salutatum iret Venerem, clanculùm in ædes nostras irrepsit, herum adiit, & fugæ deprompto consilio, longis blanditiis rogare Hyleum cœpit, ne pulcherrimam, & rigido nimis matris jugo afflictam virginem destitueret. Ferret amanti opem, tam excellenti formâ cœlo moveri Jovẽ posse. Profert & in fidei signum, patrium virginis monile, ingentis pretii, in quo Proserpinæ raptum distinctis gemmarũ coloribus ingeniosissimus labor expresserat. Herus tam beato simul & nuncio captus & munere, stultum putavit lepidissimam puellam non amare; stultius, non

non rapere, quæ vellet fugere. Itaq; monile exoſculans & pulcherrimam hanc velut fugæ teſſeram in erectum pilei limbum adoptans, operam ſuam obſtringit. Sed ancilla dum loquentis excipit verba, & formam miratur, ſcintillam & ipſa amoris hauſit; talémque cœpit herum concupiſcere. Fugę ratio hęc placuit, ut poſt occaſũ Solis ad limen Myrtillæ Hylæus veniret: erumpentem ex ædibus virginem exciperet, veherétq;. Scenâ ſic adornatâ, atque Circe dimiſſâ, herus œconomum cum coquo & obſonio in proximum jubet prædium proficiſci, cœnámque Venere dignam inſtruere; quibus & ego comes adjungor. Sodales quoq; duos, viæ & fugæ comites aſſumit: eos, ruente jam die, ad urbis portam præmittit, ut liberũ cum cuſtode exitum ea nocte paciſcantur. Ipſe mox Theſſalicum concitans equum, ædes Myrtillę petit. Jam ipſam plateam ingreſſus erat, jam limini imminebat, & contracto freno

tardiorem quadrupedi gressum imperans, fugituram virginem expectabat. Illa verò domestico' præter opinionẽ opere detenta, nondum se matris poterat oculis subducere. Sic igitur paulisper gradum Hylæus impellit, deflectítq; in proximum vicum, ut periodo facta, per eadem vestígia rediret. Jam verò & altera remota: Circe tandẽ, quia amare se intellexit, fugere quoq; voluit: ut Hylæum inveniret, Myrtillam suam sequi. nec color tam piæ deerat causæ, affectus dominæ. Contrà rogare ancillam virgo cœpit, ne importuno obsequio communia salutis vota impediret: & quomodo, inquit, fallere matrem ego possum, si unà tu erumpas? fac etiam posse: quomodo unus utramq; equus capiet? sed bonum habe animum, eadem tamen nocte venies. Quempiam ex Hylæi submittam famulis, qui pari te quoq; industria rapiat. Erecta his verbis ancilla, laudavit consilium, & spes suas Dîs Vialibus cõmendavit.

vit. Chæreſtratus autem, qui pluſculos jam apud amicum dies ſummo cruciatu exant laverat, languēs amore & liqueſcens, ferre diutius deſiderium virginis ſuæ non potuit. Ergò ad ignem properans, quo ardebat, Paneuto valedicit, equum conſcendit, & Cupidine ſtimulante, raptim ad urbem devolat. Meta itineris eadem quæ diei, ac jam extremam viam caligine ſua Nox cōdiderat, oppidúmque clauſerat, cùm ad mœnia Chæreſtratus veniret. Cœpit igitur circuitu tentare aditum, & ad portam perveniens, quæ Hylæo patebat, ingreſſus eſt. Tum quidem tanquam à propitio aliquo Genio admotus ingenti fiducia votum fecit, ſi durum Myrtillæ pectus miteſceret, aureum ſe Cupidinem Paphiæ femori appenſurum, ſimul equum ſtimulans, curſū ad Virginis larem direxit domū ſaltem per tenebras viſurus. Venit igitur, cùm paulo ante Hylæus tranſiviſſet, & exadverſum veſtibulo conſtitit,

ſtitit, triſti limen ſuſpirio ſalutans. Ecce autem panduntur eodem illo momento fores, ipſaq; ad equi ſonitum prodit accincta ad fugam virgo Accedit, & ſubmiſſa voce ſe adeſſe indicat: malle in poteſtate amantis, quàm matris deinceps vivere. Nec mora, conſcendit, celerem præbente manum Chæreſtrato, & extremum equi inſiliens dorſum dextero Centaurum ſuum brachio complexa eſt. Adoleſcens tacito ſenſu Fortunam adorans, retrò quà venerat, equum agit, ſuaviſſimã in tutum prædam avecturus. Neq; in porta ab Hylæi ſodalibus obſtaculum ullum: quia non interpellati, quem non noverant, neglexêre. Pergit ille, & producto ad decimum pænè lapidẽ itinere, cœpit velle ſuam facere quam rapuerat. Cælũ, & amœnitas quędam loci invitabant. Nam Luna jam extulerat ex Oceano vultum, languidúq; ſtipata vicinorũ ſiderum facibus, horrorem noctis vicerat. Juxta viam amœniſſimũ quoq;

pratum

pratum erat, continua arborum serie cinctum, & partim flavis, partim albicantibus florum gemmis relucens. putares æmulatione cœli in ipsam quoq; terram sparsas esse stellas. Ridere in tam molli & verno gramine ipsa cum amore suo Venus videbatur. Demissa igitur in pedes virgine, desilit felix jam Chæreſtratus, & religato ad arborem equo, Myrtillam suam avidissimis osculis invadit. Illa oculos tollens, & in facie complectentis auspiciũ quærens voluptatis, cùm Hylæum non inveniret, præ tristitia propemodum collapsa est. Hinc flebili oratione accusare iniquam cœpit sortem, pectus lacerare, & infestas ungues venustissimę formæ inferre. Sed Chæreſtratus, cùm blandam interponeret vocis manúsq; operam, primò à lacteo vultu violentiam coercuit. deinde toto amoris ingenio tentavit dolentis pertinaciam emollire: &, Miserere, inquit, pereo, gravissimo pridem vulnere sauciasti hoc pectus meum:

meum: ne minùs misericors, quàm pulchra sis, medelam optatam indulge. An etiam repugnare fatorum decretis postulas? in amantis venisti potestatem. Quid cunctaris?

--- Placitóne etiam pugnabis Amori?
Nec venit in mentem quorum consederis arvis?

Dona, quod extorquere possum, si minùs amem. Mille jam erumnis consumptum & sepultum ad novam lucis usuram reduces. noli mortuum occidere, tu vita mea, tu anima, tu omnia: tuus nisi sum, nec esse quidem ultrà debeo. & simul complectens iterum puellam, vim lacrymarum effudit, vocémq; inter singultus sepeliit. Quid diutius morior? Commota tam manifesto Amoris testimonio Myrtilla, mutavit repentè animum, & tanquam numinibus morem gerens, amantis cupidinem admisit. Ille jam audacior, deduxit in terram virginem, & prævio basiorum agmine expugnata tardantis adhuc pudoris ignavia,

ignaviâ, victor spolia legit Veneris, & voluptatibus triumphat. Sed ut de hero porrò narrem: rediit ille mox viæ aliquo absoluto circuitu, cùmq; propiùs ad fores cogeret equum, aurèsque arrigeret, strepitus exoritur. Nam intus detectâ Myrtillæ fuga, filiam ab ancilla exigebat mœstissima mater, totàmq; implebat furore domũ. Illa verò heriles fugiens minas, reseratis foribus procurrit, & raptorem suum rata, qui constiterat, è vestigio evadit in equũ. Contrà Hylæus, tanquam Myrtillam veheret lætus ad portam & sodales festinat. Hi felicem raptum amico gratulati, pari itinere prædiũ, quod in aditu proximæ erat silvæ, petũt. Venientes œconomus excepit; & ejus jussu, in pontẽ aditúmq; domus ardentẽ ego extuleram facem: planè ne sine nuptiali ritu fabula esset, virgo intelligeret in viri manum se venire. Jam descenderant, & osculo sponsam Hylæus salutaturus, viventibus oculis errorem

suum

ſuum deprehendit. Igitur non levi admiratione confuſus, expoſtulare cũ ancilla cœpit,&, Quis hic ludus? inquit: vendis amplexus dominæ,tuos impendis? Itáne amator tibi in urbe,&contubernio deerat? aut tu ex illis,quæ ſpreta ſervili libidine,voluptatem in Equeſtribus quęrunt? Circe pariter admirans quomodo ab Hylęo vecta eſſet. Ignoſce inquit, virgo venio;ſed ſequi dominã ancilla potui, & parem fortunæ aleam experiri. Quid inquit,Hylæus,An Myrtilla igitur præceſſit? Niſi tu quidem, ait ancilla,delicias quæras &audire à me velis quæ feciſti: avecta eſt,cùm paulo poſt ad fugam me ærumnarũ quædam procella exigeret. Sed O benignitatem mitiſſimæ dominæ, quæ & Circen ſuam ab Hylæo voluit rapi. Tanti quidem erat fugere, cúm tu veheres; ut dominæ felicitatem ancilla quoq; libaret. Tum verò ſerió intellexit Hylæus, formoſiſſimam Veneris prædam, occulto ſive dolo, ſive

sive casu, ereptam esse. Igitur amoris promiscuo & injuriæ stimulo percussus, sodales interrogat, Num egredientem ex urbe equitem cum puella vidissent? Vidimus inquiunt (quis suspicionem admitteret fraudis?) & viam, quæ ad fauces vicini ducit montis, ingressus est. Addunt: sequi si vestigia luberet, non longo itinere vindicari puellam posse. Bonum factum: repetunt equos, & relicta inibi pulcherrima Circe, ocyssimè discedunt. Nos mœstam introducimus, & ad cibus porrò capiendum invitamus renuentem. Indulget lacrymis, &, ut liberiùs Hylæum suspiret, Myrtillæ luget infortuniũ, atq; epulas omnes, simúlq; humanitatẽ nostram fastidit. Interim labuntur horæ aliquot, & ad idem illud pratũ, in quo nuptias novi amantes fecerant, & adhuc jacebant, Hylæũ tandem nox intempesta perduxit: qui postquã stantẽ ad arborem notavit equum, circumtulit oculos & ecce in molli gramine, mutuísq; implicitos

implicitos amplexibus juvenem & puellam videt, quos profundus admodum ſopor oppreſſerat. Hanc igitur fugitivam ſuam ratus, in terram venit, ferro ſubdialem rupturus cubantium torum. Nam Myrtillam quidem avellere decreverat; raptorem, ſpectante puella, confodere. Sed tantam crudelitatis audaciam benignior Genius temperavit. Acceſſerāt enim ſodales quoq;, & agnito Chæreſtrati ſui vultu, veteris amicitiæ memores, ad humanitatem flexerunt animos. Itaq; leni ſermone cohibentes Hylæi impetum. Noli, inquiunt, inconſultū præcipitare ferrum, etiam vindictæ jucundæ quædam mora eſt, ſœvire poſſe, & differre, voluptatem habet. In poteſtate tua ſunt, qui jacent, & crudelis eſſe poteris, cùm injuriā intelliges. Nunc fruere noctis hoc ſpectaculo, dum reſpiras ipſe; & tātiſper indulge ſomni libertatē, quibus propria Venus fuit, Amor fuit. Ecce inter amplexus formoſi adoleſcentis puel-

la

la cubat: si vim passa, quomodo stupratorem suũ stringit? imò quomodo dormit? Quid si rapi à Chæreſtrato voluit; & ancillæ seu error: seu malitia scenam fugæ inverterit? Quid si re ipsa ardeat, dominámq; traduxerit, hoc ad amores suos stratagemate itura? Nosti superbam quarundam libidinem: ultra sordes florem formæ efferunt. Quid attinet dicere? Scitula hæc quidẽ nobis visa, nec minùs concubitu tuo digna quã quæ fugit. Misit hæc monile? illa tradidit, utri acceptum referas, dubites. Procumbere hîc & exspectare, si placet, melius: rem ipsi mox vigilię redditi seu amantes, seu nõ amantes aperient. Cùm placeret consilium, seorsim equos ligant, & proni in insidias, imò verò mox in somnũ procumbunt. Nam itinere fessos, & silentio cinctos molestissima gravedo invasit, & expugnatis oculorum custodiis, profundissimè mersit. Putares ab amantibus in Hylæum sodalélq; totam soporis nubem transfusam.

fulam. Ecce hoc ipso momento expe-
rectus Chærestratus, & eò fortè re-
spiciens, ubi modico arborum inter-
vallo distincti stabāt equi, mirari cœ-
pit quis phalerata jumenta in pascua
eo noctis immisisset. Surrexit, & pro-
lato paulisper gressu dormientē Hy-
læum offendit. Tum ad Myrtillā suā
recurrens, Quid moramur? inquit.
Hylæus adest & ut fugiendi iterū fa-
ciat potestatem, terræ affixus stertit,
Tu voluptas mea pelle metum omnē;
equum istum scande, & recto tramite
viam capesse. Faxo ego, ut domum
redeant, & laborī parcant, qui felicis-
simum nobis somniū non inviderunt.
Monenti, etsi trepidè puella morem
gerit animúmq; ad fugā denuò mas-
culat, quæ non jam metuere minùs
Hylæū incœperat, quàm priùs amā-
rat. Tantū in virgine nox una potuit,
ut certissimo argumento colligas spu-
rium Cupidinem esse, quē Venus non
genuit. Chærestratus autē de monili
jam edoctus, ne pignus quidē amoris

esse

esse apud rivalem sustinuit: quasi totam non raperet; non posset Myrtillam suam, nisi & pretiosissimum fugę symbolũ vindicasset: Subduxit igitur dormienti pileũ, in quo gemmea illa imago resplendebat suúmq; reposuit. Hinc ad equos se conferens, primo & secundo frenum detraxit, & in præterlabentem demersit rivum. Tertiũ deinde, Thessalum illum scutulatum, qui vel pennatam Pegasi vinceret velocitatẽ, conscendens, Myrtillam suam insecutus est, & rectà in Cimmeriorum regionem deduxit. At Hylæus, cùm gravedine tandẽm consumpta evigilasset, in pedes se erexit; nec leviter nova amantium fuga perturbatus, sodales increpuit. Mox cùm ereptum monile novã doloris pariter & irę materiem misceret, furorem induit, statuitque non jam rivalem, sed hostem Chærestratum insequi, & injuriæ vindictam à fugitivo exigere. Ergò itur ad equos; & hîc jam tandẽ intellexit

herm

herus, à domina ad ancillam transferendum affectum esse, nisi quidem periisse sibi noctẽ illam vellet. Quia fatorum potestas videbatur alienis amplexibus Myrtillam destinasse, de reditu cœptum cogitari. Nec mora, è fectis phaleris nectuntur habenæ, & sub novam placidi freni legem missus uterque equus, tres è stulto itinere adolescentes domum revexit. Sed herus Circes blanditiis captus, videbatur oblivisci Myrtillæ posse; nisi lassata Venere, Amor ancillæ eviluisset.

Venit ergò in *Comi* ut vidistis, contubernium; & quasi parum esset amare, pugnare etiam voluit: quem dixi Chæreastratum offendit, Myrtillam iterum vidit: digna cothurno fabula habita. Sed quid audio? glisci intus furor. Vos ignoscite, latebras cæcæ noctis quæro, & consanguineam colori meo auram. Nec moratus, per proximas scalas in cryptoporticum se demisit. Tabutius autem, cùm

festivæ

festivæ ruminaret argumentum narrationis, etiam stylo dignum censuit. Itaque pugillares proferens, & ad scribendum se componens, Drapetisci cœpit sermonẽ amœna & curiosa felicitate persequi. Ego, ne impedimentũ lucubrantis industria acciperet, Aderbam per vacuum cœpi conclave ducere; &, emensis aliquot spatiis, Cur non spectamus iterum? aio: laboret in fine fabula, nisi Chærestrati & Hylæi congressum arbitremur. Et cum dicto in cœnaculum pergimus, tanquã à limine *Comi* cothurnum spectaturi. Sed quàm nihil adhuc Drapetiscus dixerat! Non jam Convivium, sed prœlium erat, cujusmodi inter Lapithas olim ac Centauros: nec vinũ ampliùs, sed sanguis fũdebatur. Nil tale Sithonii. Ardentẽ,

Et magno Hylæum Lapithis craterе minantem

videmus: contrà, formosum Chærestratum, non minùs armis quàm amore jam furentem. In summa, ad

inferendam

inferendam quemque vim, aut propulsandã instructum. Post principia unus è coquis stabat, & acerbissimis convitiis Circen amicam suam ab utroq; rivali repoſcebat. Cùm verba non proficerent, ad vim progressus est, & infelices bellariorum reliquias è mensa rapiens, cœpit artis suæ luxum in turbam ejaculari. Sed & Bilbius Sedigitus, notissimus apud omnes Cimmerios blatero, planè βόρβορος ἐν τριόδῳ, turpissimum calonum & scurrarum ducebat agmen, diceres totam Regiæ fæcem in tumultum effervescere.

Tunc grandes Galli, & cum sistro lusa sacerdos

religiosè insaniebant. Pari & ille morbo correptus, qui in Porticu Noctem laudaverat, sæva rotabat æra; & ejusmodi ab Orgiis petitas voces depromebat; ἐν τυμπάνῳ βέβρωκα, ἐν κυμβάλῳ πέπωκα, γέγονα μυστικὸς, *De tympano edi, de cymbalo bibi, religionis secreta perdidici.* Quin etiam, ut impunè

punè linguæ ſuæ veneno graſſaretur, novo & admirabili dogmate, Famæ inſtrumentum Calumniam ſtatuerat, & cum laude poſſe vibrari. O columen magnarum litterarum! ô ſpecimen veræ probitatis! Sed his exemplis ſi juventus ducitur, ſine litteris eruditionē licebit, ſine modeſtia virtutem profiteri. Senex etiam propè Acheronticus, qui dentes faciliùs quam digitos numeraſſet, Thyrſum, & invitum ſimul Bacchum quatiens præter ætatem etiam vino delirare ſe poſſe oſtendebat. Hujus exemplo protervi aliquot adoleſcentes, & qui proximis Bacchanaliis togā virilem ſumpſerant, non tralatitiū orſi erant bellum. Alius lance manum armaverat, alius ſcypho: putares jam quoq; vulnera propinari. Sed in ipſo hoc pugnantium æſtu, Geſticulator quidam, lauro caput inſignis, moleſtiſſimis deliciis non inelegantis puellæ affectum urgebat: &, ut quàm maximè dignū ſe amore oſtenderet; Poëta videri

videri voluit. Itaque Citharœdicum componens ſtatū, teſtudinem, ſpiſſo ſulcatā ebore, errantibus digitis impulit, & nervorum harmoniam toto inſtrumento quæſivit. Cùm miraremur, quomodo, fervente Martis tumultu, vacaret homini Amorem lacesſere, ejuſmodi quoq; carmen occinuit: (vatum,

Eſt, mea vita, tibi ſacrorum nauſea
Nauſea Pieriis ſæpe dolenda choris.
Nec te cœleſtes tangunt Aganippidos undæ,
Quæq; ſolent diâ pectora mẽte regi.
Seu quia non ſanos populus putat eſſe poetas,
Teque ſinas vulgi mobilitate capi;
Sive quòd Aonium vates Heliconis ad amnem (ve.
Ora trahant Scythica pallidiora niv.
Parce tamẽ, mea vita, mihi; damnata remittam,
Si fuerint odij carmina cauſſa tui.
Nec laudis me fervor agit, nec gloria: tecum

Si

Si mihi contingant etia, ſegnis ero,
Quid moror? Æmonios adeat mea
Muſa receſſus, (polo,
Proxima Sarmatico quà riget Vrſa
Quodve latus mundi ſævis ardoribus
urget (diem
Cynthius, aurato dum vehit axe
Sat Dominæ placuiſſe meæ; ſat laudis
in illo eſt,
Si mihi det faciles ad ſua colla vias;
Blandáque purpureis figam repetita
labellis. (petat.
Oſcula, cumq; ferã plurima, plura
Fortè aliquis noſtros qui tunc ſpectabit
amores, (trahet:
Dulcia in exemplũ carmine facta
Et tua juncta meis minio variata le-
gentur (dabo;
Nomina, quotq; dedi baſia, quotq;
Felicèſque ferent paſſim nimiúmque
beatos,
Dũ tibi conſtanti detur amare fide,
Eveniantq; pares, ſeriq; in amoribus
anni, (mori.
Dulce etenim tecum vivere, dulce
Finierat ille, & mixtũ cachinno plau-

lum Aderba tollens, Sophocleas voces ſemel iterúmque repetiit: quem ego intuens. Quid iſtud? inquã: cœnam ſi ambis, alibi licet operã loces; hîc ipſa jam bellaria decollarunt. Imò ait Aderba, ut Muſis placeã, Apollinẽ veneror: Deum non hominem vides. Extra jocũ: tantus hic Poëta, peream, ſi carmen unquam fecit; & qui videri poſſit totam jejuno pectore Aganippen hauſiſſe, alieno nunc labore amicam ſollicitat, quicquid audiſti, Laopyrgus tuus compoſuit; qui cùm experiri nuper vellet, an amãtis affectũ per ludum poſſet exprimere, Elegidium iſtud effudit. Noſti quo jam fonte Muſarum felicitas fluat, & quo cultu amor creſcat *Bonæ Mentis*. Videbatur neſcio quid de Litterarũ ſtudiis adjecturus, cùm ecce ipſe Laopyrgus oculis noſtris objicitur vultu quidem minùs ſereno. Tanquam à plagiario pœnas exigeret, audaci impetu teſtitudinẽ jam denuò pſallenti eripuit: ad laurum deinde vindictam proferens, ultiſſimum Pſeu-

dopoëtæ caput nudavit. Nec moratus, rectà in nos detractũ misit spolium; ut videretur omne simul amantis ingenium rapuisse. Excepit venientem Aderba ramum, & nihil tale opinanti tempora mihi cinxit. Ergò coronatus, & tanquam Poëta adstans, etiam Jovis poterã fulmen contemnere. Sed ô ridiculũ Amoris schema! Puella tam repentino infortunio perterrita, & malè mulctatum amasium fugiens corollam secuta est; & quasi sub eadẽ Daphnes umbra tuta foret, collum meũ invasit. Ego admirans, & repugnans, Erras, inquã, ó Virgo: mea mihi è *Turrianis* Insubribus Charite est, sacro & perenni nexu juncta. Sed tu si formæ quæris laudem, hic quem vides Poëta est; si amatorem, nullis adhuc vinculis ligatur: & simul ad Aderbã transire puellam jussi. Illa cùm respiceret, nec videretur plenã ingenio faciem primámque adhuc lanugine venustam spernere, repente a robustissimo lixa comprehenditur media, & in accum-

bentis lascivum *Comi* gremium defertur. Interea verò animũ Pseudopoëta collegit, & pugnantium cuidã ollam eripiens, validissima manu in Laopyrgum detorsit. Sed ille celeri flexu declinans impetum, subduxit ictui caput, & evasit. Volat teli aut saxi instar olla, & velut nervo adacta, ac planè è catapulta emissa, mediũ agmen non sine fragore collidit. Ergò sternitur ipse Hylæus, & casu suo proximos aliquot unà trahit, quibus infirmiorem statum natura fecerat è gente Claudiorũ. Hinc acrior pugna, cùm alii majorẽ à jacentibus vim arcerent, alii vindictæ stimulis in Chæreſtratum agerentur. Quid verbis opus est? (*valet, Prose quisq; id quod quisq; potest & Edit, ferit.*

Ac ne mulierũ quidẽ clamor aciem destituebat: aliæ ejulatu sanguinem suorũ prosequi, aliæ ceu Bacchantes qnædã Bacchæ dimicantium furorẽ accendere, imò pugnare; quas anus, simiam iterum trahens, concitabat.

Nec

Nec contenta turpi clamore rabiem ſuam effundere, oſtiarii perticam, è qua ludos paulloantè exhibuerat, rapit, & in adverſos dirigit. Quia ligneus cuſpidem meniſcus obtexerat, & telum parmula obtuſum fecerat; transferre formā ſuā videbatur lena velle, omniúmque vultus umbone complanare. Prorſus, tanquā in hoc ipſo prœlio naſum vindicaret, permiſcebat omnia, & nunc illum, nunc iſtum hoſtili ligno feriebat. Hanc inſaniā cùm & Hylæi ſodales duo non ſine vulnere excepiſſent, validiſſimi juvenes, perrupta acie, anum invadunt, & fruſtra reluctanti, ad exemplum narium, aurem utramque præſcindunt. Illa quiritare & ejulare quātum voce poterat: & in vindictam ocyùs neſcio è qua latebra, adulterorum manus non ignobilis proſiluit; inter quos & miles ille, qui daniſtæ uxorē corruperat: ac videbatur non aures modò, ſed ipſum quoque aniculæ naſum ab adverſariis exigere; quaſi tam ſtrenuo facinore in com-

plexum iterum dominæ iturus. Ut breviter dicam, Martis hæc quædam ſpectacula erant. Jam menſæ cecideranr, & extrema bellaria proculcata, auxerant triſtitiam ſcenæ. Nam paraſiti aliqui

——*Moloſſici,*
Odorificiq́, & multũ incomediſtici,

quibus ſolenne colaphos perpeti, & frangi aulas in caput, amittere vitam, quàm prædam malebant; & pro epulis, imò cum epulis occumbere, dulce & decorum videbatur. Erat etiam qui tripode ictus elideret, qui veru vim arceret, qui pala aut piſtillo injuriam vindicaret. Nemo non armatus ſæviebat. Dum ſpectamus ecce familiaris noſter *Paniperches*, rectiſſimi ingenii animíque vir (cui non unã Lauream Muſæ Vernaculæ debent) è Porticu in triclinium, & ad nos venit cúmq; repentinũ hunc tumultum propiùs miraretur, pænè in diſcrimen impetu pugnantium abſtractus eſt. Sed accurrens Aderba, ſtrenuámque amico pereunti opem ferens,

ferens, è media Paniperchidem turba eripuit, & in porticum reduxit. *Comus* verò missis jam deliciis, ut tumultum sedaret, in medim se furentiũ turbã immisit, & exserta voce, Quid hoc flagitii, inquit, O Cimmerii?

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare, Thracum est: tollite barbarũ
Morem, verecundumq; Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Plura in hanc sententiam erant, quibus tamen leniri exulcerati utrimq; injuriis animi nequaquam poterant. Creverant iræ, & extremam aliquam ruinam minabantur. Numen, quia negligi, imó sperni se vidit, cũ *Luxu Lasciviaq;* evanuit, Ergò magis misceri & confundi omnia; & quasi arma etiam furori deessent, ad faces tedásq; itum, & quicquid erat luminis, pugnando extinctum est. Tum Nox, Tenebræ, & nigra omnis turba quæ in vestibulo Regiæ remanserat, irrupit; & esse, quicquid apud Cimmerios fuerat desiit. Ego ex umbra, silentio, & ipso Somno emergens, ad novam lucis usuram reversus sum. AD

AD CLARISS. ET AMPLIS. V.

ERYCIVM PUTEANVM,

Sereniſſimis Principibus

A Conciliis,

& Hiſtoriographum Regium,

NICOLAI BURGUNDI

ELEGIA.

ERYCI, *Latiæ cui jam facundia linguæ.*
Eloquiiſaſces imperium q; dedit,
Cujus ab occaſu nomen ſpatiatur ad ortum,
Quaq; tegunt Geticæ rura peruſta nives:
Quo duce ſurgentis tetigit libaminæ famæ,
Creſcit & auſpiciis gloria vecta ſuis:
Sint quibus utilitas legem præſcribat agendi,
Et ſapiant lucro quod ſatis eſſe putent,

Verſaq;

Versaq; sollicitas ostẽtet charta calẽdas,
Et repetat digiti mobile fœnus iter:
Cùm tamen virtus, & amor te tangat honesti,
Aurea Saturni tempora totus agis.
Fortunæq; minas, animoq; admittis eodem,
Munera & ambiguas stantis in orbe vices.
Nec sora, nec leges, rabiosáve jurgia palles,
Fortia nec timidis verba dolẽda reis.
Sive Hyades, pluviusq; Noto comitatus Orion,
Sive minetur hiems, Erigonésve canis:
Leniter irriguos demergit somnus ocellos,
Plenaq; tranquillæ tempora noctis agis.
Nec subit Assyriâ merces portanda carinâ,
Nec quod in aurato Mæonis amne legit.
Sed faciles Divi, blandæq; Heliconis alumnæ,
Objiciunt animo somnia læta tuo.
Obscurasq; domos lustras, viduataq; Phœbo
Tecta, nec obliquis picta sororis equis.

Aurea

Aurea quò nunquam tacita ſpatiantia nocte, (agit.
Agmina compoſito tramite veſper
Quò neq; purpureo ridens nitidiſſimus ore
Spectat ab Eois Lucifer ortus aquis.
Noc roſeis Aurora ſubit delata quadrigis,
Vtilius ſurgens à ſene diva ſuo,
Nox ibi perpetua veſtit caligine cœlũ,
Qualis et Atreas cõdidit aura dapes.
Nulla pruinoſis errant animalia cãpis,
Nullaq; frons tumido ſibilat acta Noto. (ſilvis
Non avis obloquitur, nec opacis abdita
Mœſta ſuũ repetit Daulias ales Itim:
Sed tamen & teneri paſſim ſpectantur amores,
Et jocus, & verbis gratia mixta ſuis.
Lataq; criſpãtes Hebe turrita capillos,
Et quotquot comites Aurea Cyprus habet. (via lychnis.
Hìc quoq; (quis credat?) tardis convi-
Inſtruit à Como ducta caterva ſuo.
Qualia Threicia Rhodopæo culmine matres

Orgia nocturni plena furoris agunt.
Quaritur è denſis piſcoſi Phaſidos umbris (*famem.*
Rara avis, ut tardam provocet eſſe
Si quid Orontæis tẽpeſtas miſit ab oris,
Hoc ſapit, intactas nec ſinit eſſe dapes.
Pocula collucent variis cælata figuris,
Perq; manus patrio more frequenter eunt.
Fit ſtrepitus, ſertíſq; nitent, myrrháq; capilli,
Cumq; ſuo Como turba ſepulta madet.
At juvenes lepidiq; ſedent, mixtiq; puellis (*runt,*
Liberiùs madido quælibet ore ſe-
Vdaq; confundunt pugnantibus oſcula linguis,
Vt numerum perdant continuata ſuũ.
Mille ibi nequitias placidi meditantur amantes, (*habent.*
Mille jocos, cauſas mille leporis
Mille Venus, totidemq; puer citus excitat ignes, (*mor.*
Mille pharetratus fœdera nectit A-
O mihi ſic faciles ſi ſint in amore puellæ,
Blandaq; laſcivo baſia dente premã;

Si tibi Neſtoreos veniant, Puteane, *per annos*
Candida fatali ſtamina ducta manu;
Si tibi ſit ſoſpes conjux, ſi dulcia nati
Pignora perq; ſui facta parentis eant;
Vtq; facis, tardum producas nomen in avum, (*rogos;*
Effugiatq; avidos pars tibi magna
Caſtaliaſq; petam duce te feliciùs undas (*choris;*
Cultaq; Theſpiacis culmina ſacra
Tunc ego votivas ſuſpendam mille tabellas,
Nec paries noſtri nõ minor ullus erit.
Ante Deos omnes verno de flore coronã
Crinibus imponã Cypria Diva tuis,
Aſſyrioq; madens lachrymata cortice myrrha,
Concipiam tacitas non ſine thure preces.
Teq; tuumq; colam toties Amathuntia natum.
Quot mihi purpurei ſunt in amore dies.

FINIS.